

Digitized by Google

22



552

II Suppl. Palat. A 15


BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
II
SUPPL.
PALATINA
A
15
NAPOLI

X

1. 2. 16.

Exodi 2.

GEORGI HORNI
ARCA MOSIS
sive
HISTORIA MUNDI.



LUGD. BATAV. } Ex Officina HACK[illegible] 1669.
et ROTEROD.



626979

GEORGI HORNI

ARCA MOSIS
SIVE
HISTORIA MUNDI.

Quæ complectitur

Primordia Rerum Naturalium omniumque artium ac ſcientiarum.





LUGD. BAT. & ROTEROD.
Ex Officina HACKIANA,
Aº. cIɔ Iɔ CLXVIII.



ILLUSTRISSIMO

DOMINO

D. MAURITIO

BEVERWAERDÆ &

LECCÆ DOMINO,

&c.

HANC


ARCAM MOSIS

Observantiæ ergo

D. C. Q.

GEORGIUS HORNIUS.

Illustrissime Domine,



RCAM MOSIS, id est, libellum cuncta rerum creatarum primordia,

causas,naturam,effectus,species,particulas,complectentem, Tibi talium curioso offerre atque honoris ergo inscribere visum fuit. Ac ne tituli peregrinitatem mireris, ejus clara & expedita reddi ratio hæc potest, quod quicquid Moses de prima Mundi sex dierum spatio creatione, divinitus tradit, id omne hoc compendio ex naturalibus Mathematicis ac Chimicis fundamentis, clare demonstretur & Mosen eruditum in omni sapientia Ægyptiorum ostendat. Quanquam enim natio illa jam antiquissimis temporibus Idololatriæ turpi & ridendæ mancipata fuerit; tamen

men rerum naturalium cognitione ſupra alias omnes antiquitus floruit, quam etiam à Patriarchis, Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, maxime vero omnium Joſepho Prorege & *Sophnat Paaneach* ſive abditorum Interprete per manus acceperunt ac Hieroglyphicis ſymbolis, ut rude vulgus arceretur, tectum occultatumque involverunt, non ſecus ac Moſes à parentibus ſuis in fiſcella juncea, tanquam arcanum depoſitum, Nilo commiſſus ac ibidem natans à Pharaonis filia Thermuthi caſu repertus adoptatuſque fuit. Ubi in aula Ægyptia, inter ſapientiſſimos regni à pueri-

tia educatus, omnem eorum occultam Philoſophiam ita penetravit, ut velut alter Joſephus, gratia, authoritate, potentia, quippe regni hæres ac ſucceſſor, uſque ad quadrageſimum vitę annum floreret, expeditionibus etiam medio temporis, contra Æthiopas, Imperatoria Majeſtate, feliciter admotus. Donec periculis, quæ nimio erga populares ſtudio ſibi clam attraxerat, in ſpontaneum exilium pulſus, apud Madianitarum ſacerdotem Jethronem privatæ vitæ, ut humiliori, ita tutiori, aſſueſceret, ovibus paſcendis quadraginta annos per Arabiæ ſolitudines ac inho-

ſpita

ſpita teſqua deditus. Quod quidem tempus totum meditationi rerum divinarum ita impendit, ut ſimul naturæ opera, cœlum terramque, ſedulo perſcrutaretur. Atque in hoc otio ſcripſiſſe eum & Geneſin & librum Job ſunt qui velint; quorum uterque admiranda creationis & providentiæ opera complectitur.

Ac mihi quidem id ſemper viſum fuit à Chriſtiana pietate alienum, quod plerique origines rerum cauſaſque ex putidis gentilium lacunis vel proprii cerebri labyrintho haurire malint quam limpidiſſima illa Moſis, Prophetarum ac Pſalmo-

rum ſcaturigine, quibus Euangeliſtæ ac Apoſtoli ſua ſuperſtruxerunt. Neque enim à Deo ſeparanda ſunt opera ejus & unde notitia Creatoris hauritur, ibi quoque fontes creaturarum quærendi ſunt. Nihil ſane rerum naturalium toto mundo datur, cujus non abditiſſima quævis ex ſola ſcriptura ſacra erui ac evidentiſſime demonſtrari poſſint. Negligentia hæc eſt & ſtupor illorum qui contemnunt ſcripturas, qui vel non legunt vel obiter tantum ac cum ſtultitiæ humanæ præjudicio ad deliria ſuarum cogitationum divinam ſapientiam accommodare volunt. Hinc profanæ

illæ

illæ voces *Scripturam loqui ex opinione vulgi, erroneam esse nisi ex nova, nescio qua, Philosophia corrigatur*; *Sp. Sanctum non fuisse Mathematicum*, & si quæ alia sunt dictu nefanda ac tetra.

Cæterum quod tibi ILLUSTRIS & Generose Domine, hunc libellum inscribere voluerim, causas habui haud leves. Meministis enim adhuc ejus temporis quo simul Lugduni Batavorum in ædibus Magni Spanhemii studiis, vos vero insuper exercitiis quæ genus vestrum & illustrem familiam decebant, operabamini; & erat tum splendidissimorum juvenum prænobilis corona, ex qui-

bus quidem aliqui interea cœlitibus adſcripti, quos inter præcipuè lugendi mihi fuerunt Nobiliſſimi *Franciſcus D. à Plaet* infeliciter Oceano Germanico dum ex Anglia patriam repetit, ſubmerſus, & cujus ego tum juventutem regebam, *Thomas Morgan.* Vos vero fratres Illuſtriſſimos per tot annos fati clementia & in periculoſiſſimis peregrinationibus ſervavit incolumes & ad maximas dignationes promovit. Unde & mihi gloria ac animi gaudium naſcitur, quandoquidem

Principibus placuiſſe viris haud ultima laus eſt.

Ac revocaſti mihi in mentem,

tem, MAURITI Illustrissime, cum nuper Hagæ eapse die qua Serenissima ELISABETHA Brandeburgica, nunc cœles, discederet, ultro me compellares his verbis

Equitans in arundine longa.

Simulque te ipsum nomine & vultu ostenderes, ac gratiose in Palatium tuum invitares; multum me & incolumitati tuæ & quod antiqui sodalis memoriam nondum deposuisses, mihi ipsi gratulante. A quo quidem tempore occasio data fuit cogitandi de aliquo ad posteritatem monumento tibi consecrando; neque aliud convenientius visum fuit quam

hæc

hæc Arca Mosis, opuſculum quidem mole exiguum ſed ingentis ponderis. Nam cum nuper cognato tuo, Illuſtriſſimo Comiti *Wilhelmo Adriano de Hoorn*, Orbem Imperantem inſcripſiſſem, non modo id ſibi gratiſſimum fuiſſe coram declaravit, verum etiam monumento ſua generoſitate digno oſtendit. Quapropter ut ſanguine & animis conjunctiſſimi eſtis, ita etiam utriuſque veſtrûm nomina in illis quæ à me publico dicantur, exſtare volebam.

Accipe igitur, Illustrissime MAURITI, hanc Arcam Mosis, cujus pretium non ex mole ſed argumento

gumento æſtimari debet, & quemadmodum à teneris annis animi magnitudinem, pectus generoſum, conſtantiam in actionibus aliaſque Heroicas virtutes, exemplo majorum tuorum oſtendiſti: ita in hac matura ac virili ætate Rempublicam conſilio, domi, foris, pace, bello, ornare ac tueri perge, meque cultoribus tui nominis adſcribe.

Lugd. Batavor. XV. Aug. cIↃ IↃ C LXVIII.

LECTORI
Benevolo Salutem.

EN *tibi*, Lector Amice, *novum & inexpectatum opus, ipsa tituli, ut nonnullis videbitur, peregrinitate famosum: quid enim nobis cum arcula illa Mosis, qui ingentem* ARCAM NOÆ *humani generis & omnium animantium feracem habemus? Ac si de sola nunc magnitudine contentio esset, multum sane* ARCA MOSIS *illam* Noæ *exsuperaret, quæ non nisi scaphæ Historiæ Humanæ statum ac conditionem tueri potest; cum Arca Mosis totius universi Cœli & Terræ, omnium Creaturarum, visibilium & invisibilium, amplitudinem, tam angustis etiam areolis, sed immensum dilatabilibus, complectatur. Nam à primis rerum omnium initiis ac elementis, ad compositionem,*

tionem, figuras, corpora, actiones, facultates, perfectiones, imperfectiones, bona, mala, causas, remedia, casus, artificia, narrationes, progreditur, ut nihil mente concipi aut cogitatione fingi possit aut ex omnium seculorum memoria depromi, quod non in ea locum suum naturalem habeat ac reperire possit. Ita apertus est industriæ humanæ ingens spatiosissimusque campus, in quo se cujusque privata curiositas exercere, & quæ studio brevitatis (neque enim unius id hominis opus est, mihi etiam, velut alia agenti, hæc exciderunt) præterita sunt, addere licebit. Nam methodus, quia ex ipsis divinarum scripturarum immobilibus fundamentis & totius naturæ perpetuo consensu stabilita ac depromta est, neque corrigi neque transponi potest absque totius ruina. Est enim primum Mo-

sis:

ſis in Geneſi caput tantæ profunditatis & altitudinis, ut quanquam cætera ſcripturarum omnia Sp. Sancti inſpiratione ac dictamine à Sanctis Dei hominibus ſcripta ſint, hoc etiam immediate ab ipſo ſpiritu Sancto ſcriptum cenſeatur. Quapropter eo majori religione, tanquam Baſis totius Hiſtoriæ ſacræ, tuendum amplectendumque hominibus eſt ac ſub graviſſima execratione cavendum, ne quicquam ejus criminemur vel per ſtolidam illam apparentiam in dubium vocemus. Quam magna ſint duo illa Luminaria & mirabilia Sol & Luna, præ reliquis omnibus Stellis, ille ſolum recte judicare poteſt, qui abſque ullo tubo optico vel arte, irretortis oculis fulgentiſſimum mero meridie Solem & Lunam pleno orbe mediæ nocte ſplendentem intueri ac eorum ineffabilem

magni-

magnitudinem ac pulcherrimam Majestatem, infallibili visu, comprehendere potest. Quapropter quicunque divinam veritatem rerum naturalium amas, repudiatis illis novaturientium nugis, ex quibus nihil nisi ignorantiam mentis, & hallucinationem sensuum consequeris, Deo, *ejus Scripturæ, Mosi, Prophetis, Apostolis crede, fide, adhære: ita mox senties lucem oriri in corde tuo ac omnia tibi pervia & patentia reddi, quæ frustra tanto labore apud illos qui vacui & inanes erant, dum quæris, teque pariter ac alios decepisti.*

Et quandoquidem ob varia impedimenta nunc non licuit hanc Arcam Mosis, *plene pertexere: fiet illud tamen, Deo largiente gratiam, cum tempore. Interea his fruere qualibuscunque, & expecta propediem* Arcam

Josuæ.

JOSUÆ, JUDICUM *ac* REGUM, *in qua omnium Bellorum artem, mysteria, origines, successus, exitus, ex Universa Historia, ad nostram usque ætatem, trademus. Monitos etiam volo Typographos ne quicquam Operum meorum me ignaro recudant: omnia enim correctiora & auctiora edere animus est. Vale Lector Benevole & labores nostros pari assiduitate adjuva.*

Primum Caput MOSIS

Fundamentum eſt omnis Eruditionis.

QUandoquidem totum opus Arcæ Moſis primo Capiti *Geneſeos* ſuperſtructum eſt; hinc neceſſarium viſum fuit idem caput, tanquam baſin ac fundamentum, in frontiſpicio præmittere & quidem omnium illarum gentium linguis in quas ſacra Biblia tranſlata extant. Nam ex unico illo capite non tantum totius ſapientiæ divinæ pariter ac humanæ primordia & origines depromuntur: verum inſuper linguarum rudimenta poni poſſunt, cum totius univerſi exactiſſimum ac perfectiſſimum compendium ſit. Extant autem Biblia his potiſſimum linguis, Hebræa, Græca, Latina, Syriaca, Samaritana, Armenica, Coptica, Abyſſina, Arabica, Turcica, Perſica, Slavonica, Bohemica,

hemiça, Polonica, Russica, Fennica, Suecica, Danica, Norwegica, Yslandica, Germanica, Belgica, Anglica, Cambrica, Hibernica, Gallica, Cantabrica, Hispanica, Italica. Sed quandoquidem aliæ quidem linguæ nobis familiares, aliæ penitus incognitæ sunt, nonnullæ autem haberi non possunt; ideo præcipuas tantum excerpere visum ac primum caput *Geneseos* publicare linguis Latina, Græca, Hebræa. Cæteras omnes quotquot extant & haberi possunt peculiari operi cujus titulus erit; RUINÆ BABYLONIS reservantes, una cum clavi & manuductione ad omnes totius orbis linguas facili negotio discendum novasque solius alphabeti ope reperiendum. Nam ut hoc obiter moneam, inter præcipua studiorum & eruditionis impedimenta est illa diffusa & ad desperationem usque intricata linguarum discendarum ratio,

tio, adeo ut totam ætatem multi in ſolis Grammaticorum nugis diſcendis, miſerabiliter conterant; & tamen quotuſquiſque illorum, poſt tot Siſypheos labores, vel Epiſtolam tolerabili ſtylo exarare poteſt? Jacent interim neglectæ & ignoratæ res quarum cauſa omnis ille ſuſcipitur labor. Itaque vel deſerenda impoſterum ſtudia ſunt vel alius inſtituendus ordo, minori cum labore & majore fructu. Ac ſi quis compendio ad maturam eruditionem pervenire cupit, abjiciat, meo judicio, omnes Grammaticas, Rhetoricas, Dialecticas, vel Logicas, Metaphyſicas, Phyſicas, Ethicas, inſtitutiones varias Proſodias; Politicas; ſit contentus pauciſſimis authoribus ac ſi verè ſapere vult ſolis Bibliis quę ſunt ille Macrocoſmus & Microcoſmus; illud Pantheum animi, corporis, juſtitiæ, ſanitatis, ſapientiæ, eloquentiæ, linguarum, Hiſtoriarum,

rum, Politices, Poëſeos, Mathematices, Architecturæ, Militiæ, artium liberalium pariter & Mechanicarum, fons & abyſſus omnis eruditionis. Expertus ſcribo. Majorem jam ætatis partem in Academiis docendo tranſegi: nota mihi ſunt ingeniorum naufragia & temporis diſpendia. Sæpe ingemiſco juventutis ignaræ perituris & inutilibus laboribus, quæ tam miſere ſeducitur & plerumque pro tot ſumtibus, ignorantiam & pertinaciam male hauſtæ vel intellectæ ſectæ domum defert ac diplomate velut indulgentiis munita audacter propagat. Hinc in tanta Medicorum multitudine & arcanorum ut jactant, copia, indies morbi creſcunt, vires humanæ maledicta venæſectione & adhuc peſtilentiori purgatione exhauriuntur ac nuſpiam major debilium copia quam in Magnatum qui ſolvere tamen poſſunt

ſunt & volunt, palatiis: alius claudicat utroque pede: alter digitos chiragra incurvos habet: hunc calculus jugulat: ille tabeſcit. Cur hic non fungitur Medicina ſuo officio? Et quî poſſunt inter ſe factionibus letaliter diſſidentes & in ipſis fundamentis contrarii? Ita quidem ut Magnus Rex, cui recens maſcula ſoboles edita, cum amitteret imperitia Medicorum filium, voviſſe dicatur: *Si Deus aliam ſibi prolem largiatur, nullo ſe amplius Medico uſurum.* Non accuſamus Medicos ſed diſcordiam eorum & malitiam mutuam & letales æmulationes ac horrenda odia, quibus dum indulgent, miſeros ægrotos perire haud ægris oculis vident & alter in alterum culpam rejicit: mortuus vero à quo ſit occiſus, judicare non poteſt. Atque ut antiquitatis judicia de Medicinæ miſerabili ſtatu, origine, progreſſu, cruentis factionibus,

veneficiis mutuis, conjuratione contra Rempublicam, compendio noscamus, placet Plinii verbis totam Tragœdiam exponere. Ita igitur ille libro XXIX. cap. 1. Medicina post Æsculapium, *in densissima nocte latuit, usque ad Peloponnesiacum bellum: tunc eam revocavit in lucem Hippocrates, genitus in insula Coo, in primis clara ac valida, & Æsculapio dicata. Is cum fuisset mos, liberatos morbis scribere in templo ejus Dei quid auxiliatum esset, ut postea similitudo proficeret, exscripsisse ea traditur, atque (ut Varro apud nos credit) jam templo cremato, instituisse medicinam hanc, quæ Clinice vocatur. Nec fuit postea quæstus modus, quoniam Prodicus Selymbriæ natus, discipulus ejus, instituens quam vocant Iatralepticen, reunctoribus quoque Medicorum ac mediastinis vectigal invenit. Horum placita Chrysippus ingenti garrulitate mutavit, plurimumque etiam ex Chrysippo discipulus ejus Erasistratus, Aristotelis*

ſtotelis filia genitus. Hic Antiocho rege ſanato C. *talentis donatus eſt à rege Ptolomæo filio ejus, ut incipiamus & præmia artis oſtendere. Alia factio ab experimentis ſe cognominans Empiricen, cœpit in Sicilia, Acrone Agrigentino Empedoclis Phyſici autoritate commendato. Diſſederuntque eæ ſcholæ: & omnes eas damnavit Herophilus, in muſicos pedes venarum pulſu deſcripto per ætatum gradus. Deſerta deinde & hæc ſecta eſt, quoniam neceſſe erat in ea literas ſcire. Mutata & quam poſtea Aſclepiades (ut retulimus) invenerat. Auditor ejus Themiſon fuit, qui quæ inter initia ſcripſit, illo mox recedente à vita, ad ſua placita mutavit. Sed & illa Antonius Muſa ejuſdem autoritate Divi Auguſti, quem contraria medicina gravi periculo exemerat. Multos prætereo Medicos, celeberrimoſque ex iis Caſſios, Calpitanos, Aruntios, Albutios, Rubrios.* C C L. H-S. *annua mercede iis fuere apud principes. Q. vero Stertinius imputavit principibus,*

 quod

quod H-S. quingenis annuis contentus esset: sexcena enim sibi quæstu urbis fuisse numeratis domibus ostendebat. Par & fratri ejus merces à Claudio Cæsare infusa est: censusque, quanquam exhausti operibus Neapoli exornata, hæredi H-S c c c. *reliquere, quantum ad eam ætatem Aruntius solus. Exortus deinde est Vectius Valens, adulterio Messalinæ Claudii Cæsaris nobilitatus, pariterque eloquentiæ assectator. Is eam potentiam nactus, novam instituit sectam. Eadem ætas Neronis principatu ad Thessalum transilivit, delentem cuncta majorum placita, & rabie quadam in omnis ævi medicos perorantem: quali prudentia ingenioque, æstimari vel uno argumento abunde potest; cum monumento suo (quod est Appia via) Iatronicem se inscripserit. Nullius histrionum equarumque trigarii comitatior egressus in publico erat. cum Crinas Maßiliensis arte geminata, ut cautior religiosiorque, ad siderum motus ex ephemeride Mathematica cibos dando,*

horas-

horasque observando, autoritate eum præcessit. Nuperque centies H-S. reliquit muris patriæ, mœnibus quoque aliis pene non minori summa extructis. Hi regebant fata, cum repente civitatem Charmis ex eadem Massilia invasit, damnatis non solum prioribus Medicis, verum & balineis: frigidaque etiam hybernis algoribus lavari persuasit. Mersit ægros in lacus. Videbamus senes Consulares usque in ostentationem rigentes. Qua de re extat etiam Annæi Senecæ stipulatio. Nec dubium est, omnes istos famam novitate aliqua aucupantes animas statim nostras negotiari. Hinc illæ circa ægros miseræ sententiarum concertationes, nullo idem censente, ne videatur accessio alterius. Hinc illa infelicis monumenti inscriptio turba se medicorum perisse. Mutatur ars quotidie toties interpollis, & ingeniorum Græciæ flatu impellimur. Palamque est, ut quisque inter istos loquendo polleat, imperatorem illico vitæ nostræ necisque fieri: ceu vero non mil-

lia gentium sine Medicis degant. nec tamen sine Medicina: sicut populus Romanus ultra sexcentesimum annum, nec ipse in accipiendis artibus lentus, Medicinæ vero etiam avidus, donec expertam damnavit. Etenim percensere insignia priscorum in his moribus convenit. Caßius Hemina ex antiquis autor est, primum è Medicis venisse Romam Peloponneso Archagathum Lysaniæ filium, L. Æmilio, M. Livio Coss. anno urbis DXXXV. *eique jus Quiritium datum, & tabernam in compito Acilio emptam ob id publice. Vulnerarium eum tradunt fuisse vocatum, mireque gratum adventum ejus initio: mox à sævitia secandi urendique, transisse nomen in carnificem & in tædium artem omnesque Medicos: quod clarissime intelligi potest ex M. Catone, cujus autoritati triumphus atque Censura minimum conferunt: tanto plus in ipso est. Quamobrem verba ejus ipsa ponemus. Dicam de istis Græcis suo loco Marce fili, quid Athenis exquisitum habeam,*

& quod

& quod bonum sit eorum literas inspicere, non perdiscere. Vincam nequissimum & indocile genus illorum: & hoc puta vatem dixisse: Quandocunque ista gens suas literas dabit, omnia corrumpet. Tum etiam magis, si Medicos suos huc mittet. Jurarunt inter se barbaros necare omnes Medicina. Sed hoc ipsum mercede faciunt, ut fides iis sit, & facile disperdant. Nos quoque dictitant barbaros, & spurcius nos, quam alios opicos, appellatione fœdant. Interdixi tibi de medicis. Atque hic Cato DCV. anno urbis nostræ obiit, LXXXV. suo, ne quis illi defuisse publice tempora, aut privatim vitæ spatia ad experiendum arbitretur. Quid ergo? damnatam ab eo rem utilissimam credimus? Minime hercule, subjicit enim qua medicina & se & conjugem usque ad longam senectam perduxerit, iis ipsis scilicet, quæ nunc nos tractemus. Profiteturque esse commentarium sibi, quo medeatur filio, servis familiaribus, quem nos per genera usus sui differimus. Non rem antiqui dam-

damnabant, sed artem. Maxime vero quæstum esse immani pretio vitæ recusabat. Ideo templum Æsculapii, etiam cum reciperetur is Deus extra urbem fecisse, iterumque in insula, traduntur. Et cum Græcos Italia pellerent, diu etiam post Catonem excepisse Medicos. Augebo providentiam illorum. Solam hanc artium Græcarum nondum exercet Romana gravitas in tanto fructu; paucißimi Quiritium attigere, & ipsi statim ad Græcos transfugæ. imo vero autoritas aliter quam Græce eam tractantibus, etiam apud imperitos expertesque linguæ, non est. Ac minus credunt, quæ ad salutem suam pertinent, si intelligunt. Itaque hercule in hac artium sola evenit, ut cuicunque Medicum se professo statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio majus. Non tamen illud intuemur, adeo blanda est sperandi pro se cuique dulcedo. Nulla præterea lex, quæ puniat inscitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ. Discunt periculis nostris, & experi-


menta

menta per mortes agunt: Medicoque tantum hominem occidiſſe impunitas ſumma eſt. Quinimo tranſit convitium, & intemperantia culpatur; ultroque qui periere arguuntur. Atque hæc Plinius. Vale Lector Amice. Scriptum Leydæ VII. qua die Jeroſolyma à Tito Veſpaſiano funditus everſa fuit ſicut Chriſtus prædixerat.

GEOR-

GEORGII HORNII
ARCA MOSIS
SIVE
HISTORIA MUNDI.

In Principio creavit Deus Angelos, Cœlum & Terram.



NGELOS per *invisibilem* spirationem.

Cœlum & Terram, quæ vocantur MUNDUS, per *extensionem* visibilem finitam & partes extra partes.

Ei competunt *Quantitas*, sub qua *spatium*, sive *locus*, externus, internus. *Tempus* sive duratio, præteritum, præsens, futurum. *Mensura*, sive *numerus*, unitas, pluralitas, par, impar. *Pondus*, gravitas, levitas, æquilibrium. *Continuitas* & *mutabilitas:* Sub qua divisibilitas, componibilitas: *mobilitas*, flexile, fragile, tenax, scissile, pressile; *dilatabilitas*, malleabile, fusile, extensile sive ductile; *Consistentia*, rarum, densum, volatile, fixum, congelabile, incongelabile, liquabile, illiquabile: *porositas*, rarefactio, condensatio. *Transponibilitas* solubile, miscibile, errabile, pugnabile.

Ordinabilitas: Situatio, planum, aſperum, molle, durum. *Figuratio* regularis, irregularis: *proportio* æqualis, inæqualis.

Materia ſuperior ſive cœleſtis & inferior ſive terreſtris diverſæ quoad ſubſtantiam: differentes inſuper magnitudine & figura.

Locus eſt corporis ambitus. Iſque internus & externus.

Pori corporum ſunt anguſti, lati, duri, molles, recti, obliqui, tortuoſi & per anfractus ſibi ſuccedentes ſive cochleati, tortuoſi & non per anfractus ſibi ſuccedentes, ſeu inordinati prorſus & irregulares.

Figuræ Corporum ſunt triplices.

Primæ rectæ, oblongæ & rigidæ. Hæ Triangulares, quadrangulares, quinquangulares. *Triangulares*, Tetraedræ ſive pyramidales; octaedræ, Icoſaedræ. *Quadrangulares*, rectangulæ, hexaedræ, cubicæ. *Quinquangulares*, obtuſangulæ, dodecaedræ. Harum nec plures nec pauciores in natura dari poſſunt.

Secundæ fibroſæ ſive ramoſæ, flexiles & oleaginoſæ.

Tertiæ Globoſæ tum *rotundæ*, tum *gibbæ*, Cylindricæ, Conicæ (ellipſis, hyperbole, parabole) helicæ.

Quales *figuræ* corporum, tales & eorum *Pori*.

Pori ſunt *Convexi*, *Concavi* & *Conici*.

Convexi ſyſtroïdes, *ἀμφίκοιλοι*, acutanguli, rectanguli, obtuſanguli.

Con-

Concavi, menoides ſive lunulares, helicoides, id eſt *tortuoſi*, & *pelecoides* ſive Amazonii.

Conici ſunt elliptici, hyperbolici, parabolici.

Quando *rotunda* ſibi mutuo incumbunt *perpendiculariter*, oriuntur pori quadrangulares; cum *obliqua*, triangulares.

Cubus eſt *Rhombus*, *Rhomboides* & *Trapezium*.

Figura corporum eſt *plana* vel *gibba*.

Plana *regularis* vel *irregularis*.

Regularis quintuplex; ex quibus tres habent *baſin* Triangularem, *tetraedrum* ſive pyramis, *octaedrum*, *Icoſaedrum*. Una *baſin* quadratam, *Cubus*. *Irregulares* ſunt innumeræ, quæ tamen aliquomodo reducuntur ad duas *Rhombicas* & tredecim corpora *inordinata* Archimedis.

Gibba regularis, irregularis. *Regularis* ſphærica. *Irregulares* innumeræ, præcipuæ *Conica*, *Cylindrica*, *helica*. Sub *conica* comprehenduntur *elliptica*, *hyperbolica* & *parabolica*. *Helica*, ſub qua *conchois*, *cittois*, & aliæ.

Figuræ Principales ſunt quatuor, *Circularis* ſive rotunda. *Parallela* ſive oblonga, cava, triangularis acuta & cubica quadrata.

Ex Cœlo & Terra *separavit* Elementa.

Elementa ſunt particulæ corporum minimæ, ex quorum *confluxu* corpora componuntur, *effluxu* & *influxu* operantur, *diffluxu* intereunt.

Separatio elementorum à Cœlo & Terra facta eſt per *diviſionem* corporis extenſi continui in particulas, ſive *congregationem* homogeneorum & *diſgregationem* heterogeneorum, idque *emicatione*, *expanſione*, *confluxione* & *exiccatione:* unde motus, *contiguitas* & *vacuum*.

Motus eſt tranſlatio localis corporis ex immediata vicinia quorundam corporum in viciniam aliorum: unde *mutatio*, quæ eſt partium ut prius locatæ erant *ſeparatio* & *tranſlocatio*.

Motus eſt *localis* & *ſucceſſivus*, cujus ſpecies & effectus ſunt *generatio*, *corruptio*, *alteratio*, *augmentatio*, *imminutio*, *rarefactio* & *condenſatio*.

Cauſa motus eſt corporum in corpora *impetus* & mutuus *occurſus*. Omnis *motus* natura ſua *rectus* eſt. *Obliquus* fit per accidens propter corpora recto motui obſtantia. *Corpora* motu *circulari* moventur circa ſuum *centrum*.

Pro *quantitate* & *figura* corporum, motus eſt *celerior*, *tardior*, *fortior*, *remiſſior*, *ſenſilis*, *inſenſilis*.

Quo

Quo corpus aliquod *ſubtilius* eſt eo *celerius* & *imbecillius* movetur; quo *craſſius* eo *tardius* & *fortius*.

Corpus quod *validius* & majori cum impetu movetur, aliud quod *invalidius* & minori cum impetu movetur, cogit in ſuum obſequium.

Motus *principalis* eſt ſextuplex: *attractivus, contractivus, retentivus, dilativus, digeſtivus & expulſivus* Vel ſic: *Motus* eſt vel *concentrans* vel *dilatans*. Concentrans vel *attractivus* vel *contractivus* vel *retentivus*. Dilatans *expanſivus, digeſtivus, expulſivus*.

Denſum eſt, quod vel nullos vel exiguos poros habet. *Rarum*, quod multos & magnos poros habet. *Læve*, cujus ſuperficies eſt plana; *aſperum*, cujus ſuperficies eſt inæqualis, ita ut aliæ partes *emineant*, aliæ *depreſſæ* ſint.

Vacuum complectitur diſtantiam, poroſitatem, penetrationem. De motu compreſſionis vide Verulamium Sylv. 6. 7. Quo corpora propiora centro terræ, eo leviora. Bacon. p. 20.

Deus materiam cœli & terræ *ſpiritu* ſuo commovit ac diviſit in *particulas* variarum figurarum iiſque *motum localem* indidit ut inter ſe commoverentur ac *corpus* aliquod *fluidum* inſtar aquæ turbidæ, nigræ ac limoſæ conſtituerent.

Ita particulæ ſemel commotæ continuo motu *confricationis, abraſionis, diſcerptionis*

& *prolongationis*, innumeras figuras acquisiverunt, quæ dividuntur in *cælestes, aëreas* & *terrestres.*

Postea *separavit* Deus has particulas confusas & in suas classes *distinxit*, quarum aliqui tres, alii quatuor, alii plures constituunt: quæ sunt materia elementorum.

A *motu* & *figura* elementorum omnes qualitates & actiones oriuntur, tum *insensiles* (quæ ita vocantur quia dependent à materia quæ non cadit sub sensus) ut *magnetismus*, & quicquid *occultarum* qualitatum nomine venit: tum *sensiles*, quæ sensu percipiuntur, ut *visus, sonus, sapor, odor, tactus, appetitus.*

Materia *primi* elementi complectitur *particulas* omnium subtilissimas, mobilissimas, velocissimas, penetrantissimas, *pyramidales, tetraedras, dodecaedras* & *sphæricas*, omnium aliarum figurarum receptrices divisibiles.

Hæ *particulæ* primi elementi totum mundum pervadunt omnesque aliorum corporum poros permeant & movent; si sunt *majores* calorem, si *minores* frigus producunt. Nam *majores* particulæ majorem agendi vim obtinent, *minores* minorem. *Majores* à multis corporum poris excluduntur, quæ nonnisi minores particulas materiæ subtilis admittunt, unde minor in iis motus & *frigida* censentur ut marmor, glacies. *Frigida* igitur vocantur quæ talem dispositionem particularum minima-

rum

rum habent, ut ad quietem potius quam motum apta sint.

Distributæ sunt in *tria* imprimis loca. *Pars* longe *maxima* supremum, & spatiosissimum mundi locum occupavit,& cum terminum suum quem Creator constituerat, attigisset, neque altius adscendere neque etiam regredi posset, amisso recto ulteriore motu in *circulum* & gyrum reflexa fuit ac reliqua corpora secum ab ortu in occasum spatio 24. horarum circumegit. Hoc dicunt *primum mobile.* Alia *pars* orbium cœlestium foramina & poros implevit, & à luce pressæ ac pulsæ sive agitatæ lumen de se sparserunt,ipsa vero Lux seorsim in variis foraminum centris collecta micabat, unde *Sol, Luna* & *Stellæ* dicuntur.

Tertia pars crassior, particulas crassas *aquæ* & *terræ* permeavit.

Et hæ particulæ striatæ vel alterius figuræ per globum terrestrem perpetuo ab uno polo ad alterum *circulantur,* ac in terræ medio *concentrantur* & desecantur, relictisque ibidem crassioribus & ad motum ineptioribus, unde *ignes* subterranei, *sulfur, Sal, mineralia, metalla,* & alia constituentia, per poros purificata ad superiora remeant, iterum per eosdem in centrum terræ reversuræ. Lux nunquam à motu velocissimo cessat, sed assiduè huc atque illuc fertur: non autem eadem velocitate ubivis & omni tempore: nam ut plurimum paulo concitatius fertur circa

ſuperficiem terræ, quam in ſublimi aëre ubi nubes conſiſtunt & ſub æquatore locisque vicinis quam ſub polos & in eodem loco velocius in æſtate quam hyeme, interdiu quam noctu.

Materia *ſecundi* elementi complectitur particulas *ſphæricas* vel *Icoſaedras*, ſolidiſſimas, læviſſimas, poſt lucem fluidiſſimas, mobiliſſimas & diviſibiles in alias minores, quæ medium locum occuparunt & *firmamentum* ſive *expanſum* inter aquas ſuperiores & inferiores: ac *cœlum* ſive *aër* dicuntur. In hoc cœlo partes *polares* minimum habent lucis. unde frigidæ, humidæ, tenebroſæ: *mediæ*, maximè *orientales*, plurimum, unde calidæ, ſiccæ, lucidæ. Particulæ ſecundi elementi omnia corpora *ſublunaria* ambiunt & pervadunt & ſe inſinuant in poros particularum ex quibus conſtant. Quæ particulæ ſi mobiles ſint, ſuper illis non aliter moventur ac trabes ſuper cylindris (ut in aqua) ideoque ſi vel ob imbecillitatem ſuam vel ob particularum terreſtrium immobilitatem aditum non amplius reperiant, vel concreſcunt corpora (ut aqua in glaciem) vel materia primi elementi cinctæ celerius moventur.

Ab his particulis ſecundi elementi, quatenus particulis tertii elementi ſive terræ & aquæ immiſcentur, eſt *rotunditas*: quia globuli omnes cujuſcunque guttæ particulas verſus ejus centrum æqualiter premunt ſicque ipſam guttam faciunt rotundam:

dam : *Gravitas* , quia globuli omnes partes terræ verſus medium propellunt: *pelluciditas*, quia *pellucidum* eſt quod poros rectos vel rectis æquipollentes habet, unde lumen admittit eique dat tranſitum. *Opacum* eſt quod poros irregulares habet.

A *luce* lumen , color & calor. *Calor* eſt agitatio particularum terreſtrium orta à lumine vel *attritione*, unde *rarefactio*. Inde etiam *congregatio* homogeneorum & *diſgregatio* heterogeneorum.

Lumen & *color* eſt à ſolis particulis ſecundi elementi quatenus à luce plus minuſve premuntur & agitantur. *Lux* grata bonis, exoſa malis angelis.Cum *particulæ* ſecundi elementi particulas aquæ vehementer exagitant, eæ quæ ſunt tenuiores ac flexiliores mutantur in *vapores* ; cum remiſſius in *glaciem* , & vapores in *aquam*. Et hinc origo *fontium* , *fluminum* , quæ perpetuo per terram circulantur, & *ventorum* , cum particulæ maris variis irregularibus motibus agitantur. *Mare* agitatur vel *irregulariter* unde venti , vel *regulariter* à Luna , unde *fluxus* & *refluxus* bis in die.

Materia *tertii* elementi complectitur *particulas* craſſiores , ſibi invicem incumbentes, implexas, intextas, denſiores, graviores , minus mobiles & fluidas , *triplicis* potiſſimum figuræ , *ramoſas* , *ruderoſas* & *oblongas*. Quæ infimum locum occuparunt & aqua ac terra vocantur.

Terra figuræ *cubicæ hexaedræ* ex particulis *fibrosis* & *rigidis* conſtat. Habet *tres* regiones. *Centralis* conſtat ex igne & aëre minus puro & excrementitio, quæ conſpicitur in *Nitro*, *Sulphure* ac ſalibus.

Media ex *ſabulo*, quod eſt vitreum & tranſcolatorium aquarum ac ſalſedinem earum imbibit ac detinet.

Suprema ex corpuſculis majoribus figurarum maximè irregularium.

Ex *terra* oritur *ignis*, ad quem requiruntur, 1. *Corpora*, quorum particulæ craſſiores unæ ab aliis ſeparari & ſejungi poſſunt.

2. Vis aliqua *expellens* particulas ſecundi elementi ſive aërias ab intervallis illarum particularum: ut in ſola luce natent & ejus celerrimo motu circumrapiantur & quaquaverſus impellantur, unde *calor* & *lumen*.

3. *Lucis* collectio & concentratio.

4. *Locus* liber ac patens: quia aëre privatus perit loci defectu. *Ignis* ergo eſt congeries particularum tertii elementi tam tenuium & à ſe mutuo disjunctarum, ut vehementiſſimo motui primi elementi ſive lucis cui innatant, obſequantur. Eſtque ignis *productum* quiddam ex elemento terræ & luce. Nam ignis reſpectu materiæ combuſtibilis ad elementum terræ ſpectat: reſpectu flammæ luminis & caloris ad lucem. Nam particulæ *terreſtres* à ſe invicem *ſeparatæ* conſtituunt vel *ignem* vel *aërem*. Ignem conſtituunt illæ quæ mo-

tum

tum materiæ primi elementi ſequuntur: aêrem illæ quæ motum materiæ ſecundi ſequuntur. Hinc *aër* & *ignis* tantum differunt motus celeritate.

De varia ignium productione videantur qui de meteoris ſcripſerunt.

Aqua, figuræ *octaedræ*, habet particulas *oblongas*, *teretes*, facile à ſe invicem ſeparabiles, quarum unæ ſunt *flexiles* quæ aquam *inſipidam*; aliæ *rigidæ* & *acutæ* quæ *ſalia* componunt.

Elementa ſunt vel expanſa vel contracta.

Expanſa: Sol, ignis.
Aër,
Aqua,
Terra.
Contracta: Aurum,
Nitrum,
Sal,
Sabulum.
Liquida: Oleum,
Fluida: ignis, aqua.
Conſiſtentia: Sulfur,
Salia.

Omne *conſiſtens* ſolvitur in ſuo *fluido*, ſalia in *aqua*, ſulfura in *oleis* vel lixiviis.

Ex *Elementis* produxit *ſpecies*.

Per *mixtionem* particularum tertii elementi aquæ & terræ, quæ duo elementa tantum conſtituunt mixtum; reliqua duo *aër* & *lux* non conſtituunt corpus, ſed ejus

poros ingrediuntur, penetrant, & particulas varie agitant ac movent.

Lux & *aër* ideis & *mechanica*: rerum creandarum à Deo instructa disponit particulas tertii elementi & inde *speciem* ac *individuum* effingit justa partium proportione, figura, situ ac magnitudine.

Ita disposito corpore Lux sese cum eo intime conjungit & in eo tanquam suo domicilio libenter moratur; illud *radialiter* & *emanatior* movet, regit, conservat, ac tales operationes motusque facit quales magnitudini, figuræ, poris ac proportioni illius speciei conveniunt. Unde *differentia* specierum oritur à diversa mixtione, figura, magnitudine, poris ac proportione materiæ subtilis ac crassæ. Et Lux ac Aër in se habet omnium individuorum & specierum *ideam*, figuram, motum, proportionem, qualitates, actiones, passiones: hancque potestatem semel à creatore acceptam constanter & infallibiliter retinet & exercet quamdiu non impeditur à causa externa validiori. Et quia in nullo alio corpore Lux tam libere & convenienter moveri potest quam in eo quod ipsa sibi efformavit; hinc illud corpus non deserit, nisi expulsa à causa externa fortiori & quam primum potest, in corpus suum unde pulsa est revertitur.

Igitur ex hac Lucis ac aëris cum corporibus crassioribus unione ejusque perpetuo motu vel quiete, omnes *formæ*, *qualitates*,

actio-

actiones, *passiones* oriuntur, tum *insensiles* tum sensiles, quæ pro diversitate subjecti sunt *visus*, *sonus*, *sapor*, *odor*, *tactus*, *appetitus*.

Visus fit à particulis æthereis per lucem certo modo motis & oculos afficientibus.

Sonus est tremulus, vibratus & collisus aëris motus.

Sapor motus particularum terrestrium simul cum saliva in ore natantium & linguam pro varia figura sua variè moventium.

Odor motus particularum in aëre volitantium, quæ per nares attractæ nervos movent. *Fœtor* est à particulis sulfureis & pinguibus male coctis vel in defectu, unde *putredo* vel in excessu unde *adustio*.

Gustus & *odoratus* idem objectum habent, quod percipitur ab *odoratu* quatenus particulæ illæ effluunt & in aëre volant; à *gustu* quatenus solæ vel cum saliva sub forma liquoris lente moventur & in poros linguæ incidunt.

Tactus sive *calor* est agitatio particularum terrestrium facta à lumine vel ab attritione, movens sensum. *Calor* enim nihil aliud est quam acceleratio motus in particulis terrestribus & *frigus* nihil aliud quam imminutio motus.

Calor igitur est *motus* lucis & ætheris varius. *Frigus* est *quies* vel minor motus lucis ac ætheris. *Frigidum* & *siccum* est quod ad incalescendum & rarescendum ineptius est.

Humi-

Humidum eſt quod conſtat particulis à ſe disjunctis & quæ in motu diffluxionis ſunt. Unde alieno termino continetur.

Siccum eſt quod conſtat particulis mutuo conjunctis & quæ in ſtatu conſiſtentiæ. Unde proprio termino continentur.

Quorundam *corporum pori* ſunt tales ut non admittant niſi introitum lucis: alii etiam particulas aërias quarum implicatione pori fere obſtruuntur: unde ſæpe impediunt in poris motum lucis vehementiſſimum; alii etiam particulas craſſiores aquæ & terræ admittunt; & ab hujus mixtionis varietate omnis corporum varietas dependet. Nam lux operatur pro figura & quantitate particularum craſſiorum, quibus implicata eſt: *Pyramidales* & *acutas* impellit ad pungendum, corrodendum, indurandum; *Ramoſas* ad inviſcandum, oblinendum, liqueſcendum; *cubicas* ad adurendum, calcinandum, exiccandum.

Corpora quæ habent partes *molles* & *flexiles*, in illis lux vario motu & in ſe reflexo ac reciproco, non recto movetur & diutius hæret. Unde talia calida ſunt. Quæ habent partes *duras*, *rigidas* ac ſtabiles in illis motu quam proxime recto movetur ac citius permeat. Unde talia frigida ſunt.

Omne *corpus* naturaliter appetit *quietem* & in ſuo loco ac ſitu permanet, niſi pellatur ab alio.

Quia vero lux propter continuum motum

tum & effluxum ex corporibus maxima copia diſſipatur; hinc per continuum effluxum ætheris ſtellarum, maxime radios Solis, in ſuis corporibus fovetur ac inſtauratur. Hæc lux forma ſtellata ſphærica omnia permeat irradiando & radios ejaculando. Omnia igitur plena ſunt minutiſſimis *ſtellulis*, & ipſa corpora conſtant ex minimis & infinitis ſtellulis, ut ex corporis Solaris irretorta ac oculari inſpectione patet.

Stellulæ autem illæ ſunt diverſiſſimarum figurarum, unde *ſympathia* & *antipathia*. Nam quæ *ſimilem* habent figuram conveniunt natura, quæ *diſſimilem* diſcordant. Omnia igitur operantur per *artinoboliſmum* ſive ejaculationem radiorum vel irradiationem.

Quamdiu *lux* in corpore ſuo motum ordinarium conſuetum & ſibi convenientem libere exercet, corpus in *ſtatu naturali* permanet.

Quamprimum *lux* in motu ſuo ordinario & determinato impeditur, perturbatur vel plane deſtruitur, corpus à *naturali ſtatu* deficit, alteratur, corrumpitur & tranſmutatur.

Impeditur & perturbatur *lux* in motu ſuo ordinario à compreſſione vicinorum corporum vel impetu, influxu & permixtione aliarum atomorum, quotieſcunque aliud vel alia corpora diverſarum particularum ſuo corpori permiſcentur; unde inter

ter diversas hasce particulas, quarum aliæ ingredi poros & figuram, situm, proportionem particularum *destruere*, aliæ locum, figuram, situm ac motum suum *defendere* conantur, oritur *irritatio*, *pugna*, *ebullitio*, *fermentatio*; donec tandem particulæ illæ quæ sunt robustiores prævalent ac reliquas vel expellunt vel in suam naturam *transmutant*, vel si æquales vires, utrumque corpus *conjungitur* ac duplicatur: aut destructo penitus priore corpore per corruptionem & generationem *novum* corpus priori dissimile producitur.

Si *aliquæ* tantum particulæ subtiles aut crassæ ita immutantur ut lux in iis non possit exercere consuetum suum motum, salvis reliquis & lucem ordinario modo admittentibus, illud corpus *alteratur* tantum, non destruitur, & facile ad pristinam naturam recuperato partim situ, magnitudine & lucis consueto motu, reduci potest.

Hinc *destructa* una *qualitate* & parte corporis potest integra manere altera.

Si partes *subtiles* & *crassæ* simul perturbentur & destruantur, oritur totalis *corruptio* & fit *transmutatio*: si vero *alterutra* tantum sive subtilis sive crassa *alteratio*, & illa corpora *restitui* possunt.

Quomodo fiat liquefactio, digestio, purefactio, generatio, vide Bacon. Syl.203. 204.

Atomi ex poris suis expulsæ tamdiu

va-

vagantur in aëre, donec aliud corpus ejusdem naturæ & sibi proportionatum reperiant aut ad prius revertantur. *Lux* ad certam figuram & speciem restricta, quia perpetuo effluit, corporibus *proportionatis* motum suum communicat; *improportionata* à se repellit.

Nam lux effluens ex corporibus suis, continuo movetur donec reperiat corpus, cujus *pori* suis particulis sint proportionati. Quo reperto ejus poris se insinuat & ab insequentibus particulis subtilibus successive & continenter pressa id propellit: & quia alibi tam commode & convenienter moveri non potest quam in proprio & sibi proportionato corpore, hinc ad id regreditur & secum adducit illa corpora. Unde *sympathia* & *magnetismus*.

Contrarium evenire solet si incidat in corpora *disproportionata*: unde *antipathia*.

Particulæ *rotundæ*, *ramosæ*, *oblongæ* spectantur in statu *volatilitatis*, *fusionis*, *fixationis*.

Quæ corpora *plures* & *majores poros* habent repletos materia primi & secundi elementi, ea minus habent materiæ tertii elementi & sunt calidiora, rariora, leviora & ad motum imbecilliora; quæ *pauciores* & *minores* poros habent repletos materia primi & secundi elementi, ea plus habent materiæ tertii elementi, & sunt frigidiora, densiora, solidiora, graviora & ad motum fortiora.

Cor-

Corpora in quibus *triplices* particulæ ſunt *æquales* illa ſunt *temperata*.

Corpora in quibus *triplices* particulæ ſunt *inæquatæ* ſunt *intemperata*. Si prædominentur particulæ *acidæ* ſunt frigida: ſi *ſulfureæ*, calida; ſi *ruderoſæ*, ſicca.

Corpora quæ conſtant ex *particulis* ſe mutuo *rejicientibus* & ſiſtentibus, *dura*, *ſolida* & *fixa* ſunt.

Quæ conſtant *particulis* ſe mutuo *impellentibus* & motibus diverſis agitatis, *fluida* & *mollia* ſunt.

Corpora in quibus prævalent particulæ *ſphæricæ* ſibi mutuo incumbunt *perpendiculariter* vel *oblique* per contactum externum ſuperficialem in uno puncto & tum admittunt particulas lucis triangulares à quibus ſubtilior motus, operatio agilior & penetrantior, frigus, friabilitas, durities pelluciditas. Unde facile disjungibilia, volatilia & evaporabilia ac cito corrumpuntur. Si *oblique* ſibi mutuo incumbant, habent poros *ſphæricos* convexos triangulares, ſi *perpendiculariter* quadrangulares.

Si *pori* corporum ſint *acuti*, incidunt, penetrant, perforant, figunt, unde *aciditas*: ſi *obtuſi*, adſtringunt, ſtupefaciunt, repellunt, unde *acerbitas* ſive *ponticitas*.

Si *recti*, condenſant, indurant, congelant, ſtrangulant, petrificant, unde *auſteritas* & *lapidificatio*.

Corpora in quibus prævalent particulæ *fibro-*

fibrosæ, *ramosæ*, valde *molles*, sibi mutuo innectuntur per *contactum* in duobus punctis unde fiunt minus disjungibilia & tenaciora ac habent poros *sphæricos connexos*, unde admittunt lucem & aërem: hinc major motus, mollities, cremabilitas, longævitas, coagulatio, opacitas, sub qua color *ater*, niger, fuscus ut in *carbonibus*.

Et si *pori* sint *flexiles*, *corniculati*, *falcati* aut *lunulares*, rarefaciunt, emolliunt, unde corpora *suavia*, *inodora*, *serosa*.

Si *pori* sint *lubrici*, *ovales*, dilatant, inflant, maturant: unde *dulcedo*.

Si *pori* sint *ramosi*, *viscidi*, *spirales*, oblinunt, conglutinant, exæquant; unde *pinguedo*, *tenacitas*.

Corpora in quibus prævalent particulæ *oblongæ*, *glabræ*, *acutæ*, *rigidæ*, sibi mutuo incumbunt & intexuntur per *contactum* in tribus punctis & habent poros *pyramidales* vel *quadratos*, plurimum admittunt lucis, unde *fixitas*, *adustio*, *durities*, forma *aculeata* & *aspera*, sapor *causticus* & *exurens* ac *siccus*.

Et si illi *pori* sint *pyramidales*, mordicant, corrodunt, urunt, attrahunt: unde *acrimonia*.

Si *Rhomboides* vel *cubici*, resolvunt, discutiunt, exiccant, aperiunt, volatilisant, calcinant. Unde *salsedo*.

Si *Trapezii*, abstergunt, fluida reddunt; unde *amarities*.

Cor-

Corpora quæ habent poros *rectos* ſunt *pellucida*; quæ habent poros *obliquos*, *irregulares* & *interruptos* ſunt *opaca:* quia excludunt lucem & aërem.

Ex *mixtura* corporum *pellucidorum* & *opacorum* oriuntur *colores*.

Quæ poros habent *triangulares* concavos, ſibi mutuo incumbunt per *contactum* externum ſuperficialem in uno puncto; unde facile disjunguntur & volatilia ſunt.

Acida habent poros *concavos*.

Quæ poros habent *ſphæricos* convexos, ſibi mutuo innectuntur & ſe tangunt in duobus punctis: unde minus disjungibilia & tenacia. *Oleoſa* habent poros convexos.

Quæ poros habent *pyramidales* vel *cubicos*, ſibi mutuo intexuntur & ſe tangunt in tribus punctis.

Salſa ſive *fixa* habent poros *pyramidales* & *cubicos*.

Quando *particulæ* mutuo ſibi *incumbentes* majores vel plures ſunt particulis ſibi mutuo *innexis* vel *intextis*, ſolvuntur per minora ſibi mutuo incumbentia; innexas & intextas intactas relinquunt, & è contrario ſi particulæ *innexæ* vel *intextæ* majores & plures ſint particulis ſibi incumbentibus.

Hinc patet 1. *quare Aqua fortis* non diſſolvat *Sulphur*, cum tamen *Sulphur* etiam conſtet ex particulis acidis: quia particulæ innexæ, id eſt *oleoſæ* in *Sulphure* ſunt

ſunt majores & copioſiores particulis acidis ſibi mutuo incumbentibus.

2. *Quare* per ignem primo expellantur particulæ volatiles *acidæ*, tardius & difficilius *oleoſæ*, tardiſſime *fixæ* : quia *acida* conſtant ex poris corporum ſibi mutuo incumbentium; quæ facile cedunt externo impellenti, *oleoſa* ex poris corporum ſibi innexorum quæ difficilius, *fixa* ex intextis quæ difficillime pelluntur.

Quorum *corporum* pori ſunt *proportionati* particulis alterius corporis, ſeſe mutuo penetrant, miſcent, agitant, attenuant, dilatant, circulant, fermentant, ſolvunt, calcinant, attrahunt, reducunt, extrahunt, contrahunt, concentrant, coagulant, figunt, indurant, emolliunt, conſervant.

Corpora quæ conſtant ex particulis *oblongis*, *rigidis*, *ramoſis*, *ruderoſis* ad ſummum purificatis, fixis & concentratis, omnia penetrant, ſolvunt, fermentant, perficiunt & ſeſe inſeparabiliter cum corporibus ſolutis conjungunt.

Corpora quæ conſtant ex particulis vel *oblongis rigidis* vel *ramoſis* vel *ruderoſis* ſolis aut prædominantibus, ſubeunt illos tantum poros qui ipſis ſunt proportionati: reliquos intactos relinquunt, unde corpora non perficiunt ſed *deſtruunt* earum particulas aliquas & iterum ab illis ſeparari ac corpus ad priorem naturam *reduci* poteſt.

Quo-

Quorum *corporum* pori ſunt *diſproportionati* particulis alterius corporis, ſeſe mutuo excludunt, ſeparant, pellunt, præcipitant, corrumpunt, ſuffocant, unde *diſſenſus*, *antipathia*.

Quorum *corporum* particulæ à calore plus ſolito agitantur, ea *rareſcunt*; quæ minus ſolito, *denſantur*.

Corpora alia ſunt *ductilia*, alia *malleabilia*, *flexibilia*, *fiſſilia*, *pulverabilia*.

Nullæ *atomi* quieſcunt niſi in proportionatis figuræ ſuæ poris. Poſſunt quidem impelli in alia corpora vel cum aliis atomis ingredi poros ſibi diſproportionatos majores; ſed non poſſunt ibi ſubſiſtere, verum pelluntur ab aliis particulis quæ ſunt poris illis proportionatæ. Hinc naturale *deſiderium* oritur & inclinatio atomorum ad poros ſibi proportionatos. Nam cum illæ *atomi* pulſæ ex ſuis poris non poſſint ſubſiſtere in poris diſproportionatis ad figuram ſuam, ſed perpetuo ab aliis proportionatis pellantur, vagantur donec incidant in corpora ſibi proportionata, in quorum poris quieſcunt tamdiu donec à fortiori iterum pellantur. Nulla *diſtantia* impedit motum harum atomorum verſus naturalia ſua loca & poros proportionatos: quia cum nuſpiam quieſcere poſſint niſi in poris proportionatis & perpetuo pellantur ab aliis atomis, non ceſſant a motu ſuo niſi ubi corpus proportionatum reperiunt, vel ad prius unde ejecti revertantur. Quo propiores

piores atomi fiunt loco ſibi proportionato, eo fortius impelluntur ab aliis & celerius moventur ac contra. Sæpe conjunguntur atomi diverſarum figurarum & ſimul operantur.

Corpora diverſarum particularum conjuncta ſe mutuo deſtruunt, tranſmutant in naturam *tertiam* ac *neutram*, unde initio *pugna*, *ſtrepitus*, *ebullitio*.

Quamdiu *lux* ſive cœlum cohæret ſuæ materiæ craſſæ ſive *terræ*, manet corpus in ſtatu ſuo.

Quotieſcunque cœlum ſive lux vel pars ejus ſeparatur à ſua materia craſſa, ſequitur *alteratio* vel *corruptio*.

Duo *extrema* conjunguntur per *intermedium*.

Si *æqualibus* æqualia addantur vel auferantur, *aggregata* vel reſidua erunt *æqualia*: ſi *inæqualia*, erunt *inæqualia*.

Corpora anguſtiſſimorum pororum ſoli luci ſunt pervia; unde *lucent* & *rubent*, & ſi materia ſubtilis validius moveatur ita ut particulas corporum disjungat & ſecum abripiat, *ardent*.

Corpora quæ majores poros habent admittunt cum luce aërem, à qua impeditur motus vehementiſſimus lucis vel cœli.

Corpora quæ maximos poros habent, admittunt particulas tertii elementi *aqueas* vel *terreas*.

Corpora ſunt vel *cœleſtia* vel *terreſtria*.

Cæ-

Cælestia constant ex materia primi, secundi, tertii elementi.

Ex materia *primi* elementi subtilissima constat lux.

Ex materia *secundi* elementi cœlum.

Ex materia *tertii* elementi ramosa & ruderosa, *fumi*, meteora *aërea* & *ignea*, *venti*, vel oblonga flexili, ut meteora *aquea*, *vapores*, rigida, *nix*, *glacies*, *grando*.

Ventus *Orientalis* constat ex particulis *rigidis* & *ruderosis*: unde exiccat, serenat, roborat. *Septentrionalis* ex rigidis *Conicis* majoribus, *Trapeziis*, *Rhombicis*, unde infrigidat, constringit, congelat.

Terrestria constant ex materia *tertii* elementi *crassissima* & *palpabili*, quæ triplex, *oblonga* & *ruderosa*.

Corpora ex *unis* particulis constantia.

Corpora quædam constant ex solis particulis *oblongis* & carent *ramosis* ac *ruderosis*. Unde partes earum sibi mutuo incumbunt, non inhærent & se non nisi in minutissimis punctis tangunt, ut *Salia*, *Mercurius*.

Quædam *corpora* constant ex solis particulis *ramosis mollibus* & carent particulis *rigidis*, *acidis* ac *ruderosis*; inter quæ principatum tenent *balsamum* & *aurum* ac *argentum*. Horum particulæ arctissime sibi mutuo implicantur.

Quædam *corpora* constant ex solis particulis *ruderosis* & carent particulis *rigidis* ac

ac *ramosis* ut *salia* fixa, *alcalia*, Sal *commune* decrepitatum, *Cineres*, *tura* mortua, *sabulum*. Mercurius caret *sale* & *sulfure*.

Corrosiva sunt quæ constant particulis *unius* generis vel in quibus prævalet unum particularum genus super reliqua.

Sic *aqua fortis* constat ex particulis *acidis rigidis* & caret *oleosis* ac *ruderosis*. Unde permixtā *ramosis* & *ruderosis*, amittit suam corrosivitatem. *Sal*, *Tartari* caret *acidis* & *oleosis*: Unde cum Sp. acido ebullit, fit *mediæ* naturæ nitrosæ.

Corpora ex *duobus* particulis constantia.

Quædam *corpora* constant ex particulis *oblongis* & *ramosis* ac carent *ruderosis*, ut *olea*, *pinguia*, *cera*, *sulfur*, *nitrum*, *lapides*. Et si in his prævalent particulæ *rigidæ*, oriuntur corpora *dura*, *friabilia*, non combustibilia ut *lapides*, si particulæ *ramosæ* molles prævalent, oriuntur corpora *mollia*, *pinguia*, *combustibilia* ut *oleum*, *cera*, *Nitrum*, *sulphur*.

Quo major copia particularum *rigidarum*, admixta est *ramosis*, *mollibus* & *glutinosis*, eo major inde ignis & contra. Natura *oleorum* consistit in duobus, quod sunt *inflammabilia*. Quod *inpermiscibilia* aquæ.

Quædam *corpora* constant ex particulis *rigidis oblongis* & *ruderosis* ac carent particulis *ramosis* ut *Sal* commune: *Calx* viva, *gypsum*, *Creta*.

Quædam *corpora* constant ex particulis *flexilibus oblongis* & *ramosis* ut *lac*, *sanguis*.

Corpora ex *tribus* particulis conſtant.

Quæ conſtant ex particulis *oblongis*, *ramoſis* & *ruderoſis* ſunt *plantæ*, *animalia*, *mineralia* & *metalla*.

In *plantis* prævalent *oblongæ*, in *animalibus* vero *ramoſæ*, in *mineralibus* & *metallis* abundant *ruderoſæ*.

Principia rerum creatarum duo ſunt, lux & tenebræ: *lux* eſt *cœlum* ſupremum: *tenebræ*, ſunt aër, *aqua*, *terra*. Lux eſt *rara*, *levis*, *calida*, cauſa *vitæ*, *motus*: tenebræ ſunt *denſæ*, *graves*, *frigidæ*, cauſa *mortis* & *quietis*.

Omnes *qualitates* activæ à *luce* & *tenebris* ſive *raro* & *denſo*.

Quando *lux* & *tenebræ* æqualiter permiſcentur, tum oritur *temperamentum* æquale: ubi neque calor neque frigus, neque humiditas neque ſiccitas exuperant, qualia ſunt *dulcia*, *pinguia*: lætitia.

Ubi *alterutrum* exuperat, ibi oritur *intemperies*: ſi lux *ſolaris*, calida & ſicca, ſi *lunaris*, humida & frigida: ſi *ſtellaris*, varia, prout vel de luce *ſolari* vel *lunari* participant. ſi *tenebræ* ſuperant, oritur *horror*, *triſtitia*, *deformitas*, *tortura*, *mors*, *deſperatio* & æterna *damnatio*.

Quod ſi *tenebræ* vel *lux* nimia quantitate ſuperent, oriuntur *venena*, calida vel frigida, quæ vulgo quarti gradus dicuntur. Id eſt ſi *quatuor* partes tenebrarum ſint erga *unam* partem lucis, illud *corpus* eſt *frigidum* in *quarto* gradu; & contra; ubi

qua-

quatuor partes lucis sunt erga *unam* partem tenebrarum, illud corpus est & *calidum* & *siccum* in *quarto* gradu.

Ita *duæ* partes tenebrarum contra *unam* lucis faciant *inæquale* temperamentum, quod vocant *frigidum* in 1. vel secundo gradu, *tres* tenebrarum contra *unam* lucis *frigidum* in *tertio* gradu: *quatuor* tenebrarum contra *unam* lucis *frigidum* in quarto gradu. Atque eadem ratio *calidorum* & *humidorum* est. Nam *duæ* partes lucis *Solaris* contra *unam* tenebrarum dant *calidum* & *siccum* in *secundo* gradu, *tres* partes lucis in *tertio* gradu, *quatuor* in *quarto* gradu. Ita duæ partes lucis *Lunaris* ad unam tenebrarum dant *frigidum* & *humidum* in secundo: *tres* in tertio, *quatuor* in quarto gradu.

In *centro* terræ est locus *vacuus*, in quo radii solis vehementissime concentrati sunt.

Præcipua *differentia* inter lucem & tenebras in eo consistit, quod *lux* à *centro* ad *circumferentiam* fertur: *tenebræ* à *circumferentia* ad *centrum* moventur. Hinc *lux* levat & rarefacit, *tenebræ* premunt & condensant.

Lux adscendit, rarefacit, lætificat, calefacit, vivificat, recreat: *tenebræ* descendunt, condensant, congelant, occidunt, suffocant, contristant. *Lux* est vita, *tenebræ* sunt mors rerum.

Levia sequuntur motum luminis *ascendendo*: sive quæ *corpora* possunt loco *mo-*

veri à *luce* vel *igne*, ea ſunt vel dicuntur levia. *Gravia* ſequuntur motum tenebrarum *deſcendendo*, ſive quæ *corpora* poſſunt loco moveri à tenebris ea ſunt & dicuntur *gravia*. Ergo *corpus* in ſe neque leve neque grave eſt, ſed *mobile* tantum: *leve* autem & *grave* dicitur quatenus à cauſa externa movetur: hæ autem *cauſæ* moventes duplices ſunt, *lux* ſive *ignis* & *tenebræ*.

Gravitas eſt à *denſitate* corporum & copia atomorum deſcendentium. Eadem ratio eſt cœli & terræ. *Cœlum* agens, *terra* patiens. *Cœlum* eſt univerſalis genitor omnium inferiorum. *Omnia* quæcunque fiunt, à *cœlo* proveniunt. *Cœlum* eſt in omnibus rebus *occultatum* interius; quod extra res omnes manifeſte eſt exterius. *Cœlum* eſt *patentiſſimum* in *ſuperficie* mundi, *contractiſſimum* in *centro* mundi. Ea ſummum & imum. *Cœlum* ſicut corpore ſuo *claudit* & *tegit* omnia: ita *ſpiritu* ſuo *tranſit* & *implet* omnia. *Cœlum* ubique *viſibiliter* eſt in *forma* ſua & *inviſibiliter* in omnibus *virtute* ſua. *Cœlum* eſt ſpiritus Mundi, cujus virtute plena ſunt omnia quæ vivunt. Hic *ſpiritus* in *cœlo* liberrime *diffuſus* eſt motu & virtute ſua: in *terra* & maxime centro ejus arctiſſime *concentratus*, *condenſatus* & *incorporatus*, & hoc vocant *lapidem* Philoſophorum qui ſit in omnibus rebus abſconditus. In *vegetabilibus* & *animalibus* hic *ſpiritus* vel hoc *cælum* eſt *volatile*; in *mineralibus* & *metallis* im-

imperfectis *media* naturæ, in perfectis *metallis* totus *fixus* est. In *centro* terræ est *semen* rerum. Hoc *semen* duplicem exhalationem edit, subtiliorem *volatilem*, quæ neque ad superficiem terræ protenditur & vegetabilia ac animalia constituit: crassiorem *fixam*, quæ mineralia & metalla. *Vegetabilia* igitur & *mineralia* non differunt nisi quod illa sunt *volatilia*, hæc *fixiora* vel *fixissima* ut *Sol* & *Luna*. Hinc ex vegetabilibus possunt fieri mineralia, metalla & contra. Ex particulis mineralium volatilibus nutriuntur vegetabilia: ex vegetabilibus animalia: ex animalibus homines. In *metallis* perfectis *Sp.* mundi totus clauditur & figitur. Omnia *vivunt* per calorem & humorem. *Calor* sive calidum nativum est à Sp. mundi *solari*; humidum *radicale* à Sp. mundi *Lunari*. Materia *solaris* est in austro, unde calor, tonitru & fulmen: *Lunaris* in septentrione, unde frigus. & tempestates.

Ex *austro* prodit materia cœlestis *Solaris* crassior & densior, unde *calor* & tranquillitas aëris; ex *septentrione* prodit *lunaris* rarior, mobilior, unde *frigus* & tempestates. *Spiritus* cœlestis non potest cum terra conjungi & corporeus fieri, nisi interveniente humido. Materia *cœlestis* dupliciter movetur à circumferentia ad centrum *descendendo*, unde assumit corpora fixa: à centro ad circumferentiam *ascendendo*, unde corpora sua deponit & iterum evolat.

Hic ſpiritus *concentratus* omnem vim ignis ſpernit & in cineribus ſoſpes manet, eſtque nihil aliud quam *Sal* in omnibus rebus latens. *Sperma* eſt ſeminis cuſtos & capſula, quod *putreſcit* & corrumpitur: *ſemen* autem eſt *inviſibile* quod generat, *humor* radicalis ſive *fermentum* naturæ, cui ſpiritus inhæret, eſt media ſubſtantia cœleſtem & terreſtrem copulans. *Semen* eſt corpus *ſpirituale* ſeu vitale principium in ſe continens ſpiritus *mechanicos* quibus ſuum ſibi fabricat corpus, colores, ſapores, odores, qualitates, magnitudines, figuras & alia conſentanea ſpeciei ſuæ.

Ignis naturæ eſt vel univerſalis vel particularis. *Vniverſalis* per omnes mundi partes undique diffunditur. Ejus fons eſt *Sol*. *Particularis* eſt cuilibet rei innatus.

Radii ſolis & materia cœleſtis ſtellarum major à terra facile repercutitur & aërem calefacit: quæ autem in mare cadunt, eæ ab aqua non repelluntur ſed recipiuntur ac cum aquis per globum terreſtrem circulantur, unde *Sal* qui nil aliud quam ignis aqueus.

Ignis non habet proprium corpus, ſed corpus aſſumit. Eſtque ignis deſcendens & aſcendens. *Deſcendens* ut plurimum corpora frigidiſſima aſſumit, qualia ſunt *nitroſa* omnia, nix, pruina, nubes, glacies, tonitru, fulmen, imprimis *Nitrum*, quod à *Luna*, *nive*, *pruina* imprægnatur.

Ad-

Adſcendens adſumit corpora *ſulfurea*, aquea & aërea.

Ignis perpetuo rarefacit & conſumit *aërem* vicinum ac per fumum una cum atomis ſuis & materia combuſtibili avolare facit; hinc in locum abſumpti aëris perpetuo debet ſuccedere novus, unde *aër* ab igne violenter attrahitur & eo deficiente perit ignis.

Diverſæ particulæ ſunt in mixto *realiter* per *contiguitatem* non *continuitatem*; non vero ex eo demum producuntur per ignem.

Sal extat in mixto *realiter*, non vero per *adustionem* ex eo producitur.

Spiritus mechanici formant & figurant corpora.

Nitrum non eſt inflammabile, ſed inflammabili & ſulfurea vi igni admota accendit & inflammat velut follis & ventus ex flabello emiſſus.

Nitrum imprimis à radiis *Lunæ* proficiſcitur.

Ignis corpus eſt *ſulphur*, venti *nitrum*, aëris *oleum*, aquæ *ſal*, terræ *vitrum*. Ignis anima eſt *cælum*, aëris anima eſt *nitrum*, aquæ anima eſt *aër*, Terræ anima eſt *ſal*. Et denuo *aëris* anima eſt *ignis*, aquæ anima *aër*, terræ anima *aqua*.

Arena ſive *pulvis* propterea mixtum ingreditur ut det *poros* & *loca* atomis ſenſu indiviſibilibus.

In mixtis *gravitas* à *sale*; extra mixta ab *arena*.

Vapor aquæ bullientis nihil aliud eſt quam *atomi* ignis quæ aquam penetrantes rarefaciunt ejus particulas; ſed cum in aqua ſubſiſtere nequeant, levantur ſecumque abripiunt particulas aqueas, quæ ſe ignis atomis libenter conjungunt: ita ſimul adſcendunt tam alte quam eas atomi ignis elevare poſſunt: quam primum autem ab atomis igneis deſtituuntur, iterum ſpecie roris decidunt & denuo in aquam convertuntur. Ita quoque *ſol* atomos terræ & aquæ ſecum abripit, quæ circa veſperam & noctem iterum deſertæ à Sole præcipitantur ſpecie roris aut pluviæ.

Aqua valde *igni* adverſa eſt, quia particulis conſtat non modo craſſiuſculis, ſed & *levibus* ac *glabris*: hinc aër undique illas cingit, atque inſuper *flexibilibus*, quo fit ut facile ſubeat meatus corporum quæ uruntur & ex iis ignis particulas arcendi impediat ne aliæ igneſcant.

Vis magnorum *ignium* ab aqua aut ſale injectis *augetur*: quia aquæ particulæ in parva copia flammis injectæ, inde cum impetu reſilientes, ipſæ igneſcunt. Ideo fabri carbones foſſiles aqua adſpergunt. Quod etiam ſalia potentius præſtant. Cum enim eorum particulæ *rigidæ* ſint & *oblongæ*, ſpiculorum inſtar in flamma vibrantur, & in alia corpora impingentes, magnam vim habent ad ipſorum minutias

tias concutiendas: unde fit ut metallis liquefaciendis adhibeantur.

Per *ignem* corpora transmutantur in salia *acida* volatilia sive *spiritus*, olea & salia fixa. Si *corpus* sit *angulosum*, ignis subiens poros ejus & particulas circumrotans angulos illos mutua attritione *abradit*. Hæc *circulatio* ut sine impedimento fiat, cavendum ne corpora talia angulosa *confluant*. Nam quamprimum fluxu conjunguntur, non possunt *abradi* mutua attritione & per consequens non dant spiritus, quia cohæsio partium impedit abrasionem; non enim particulæ possunt se invicem *confricare* quia cohærent. Hinc aliquid *heterogenei* influxile additur ad prohibendum confluxum & promovendam abrasionem. Quidquid in hac mutua confricatione *abraditur*, illud est *angulosum* instar minutissimorum ramentorum & specie *fumi* adscendit ac coagulatur vel in corpus siccum vel in aquam sive Sp. acidum. Ita *abrasis* angulis corpora fiunt *globosa*, glabra & lævia; quæ diutius igne fortiori circumacta constituunt *oleum*, quia ab illis globulis forti confricatione abraduntur particulæ *lævissimæ*, molles & *glabræ*. Videmus enim corpora plana & lævia continuo motu magis magisque complanari & lævigari. Quidquid igitur in illo motu abraditur, *læve*, *glabrum*, *molle*, id est *oleum*. Idque tamdiu durat donec globuli ita abrasi sint, ut ex figura globulosa in *cy-*

lindricam, teretem & oblongam, vel etiam *cubicam*, *pyramidalem* aut alterius figuræ irregularis transeant: tum enim amplius ita rotari non possunt, sed ob longitudinem suam & tenuitatem mutuo sibi incumbunt, ac *salia* fixa, *calces* vel *cineres* constituunt, quæ fortissimo igne tandem *vitrificantur*.

Succi *acres* quales in sulfure & lignis, maximum sunt ignis alimentum.

Quædam *corpora* facile *uruntur*, quædam *inflammantur*, alia non inflammantur & in prunis ignis se aliquandiu detinent ac conservant.

Fulmen porosa illæsa transit, solida frangit: animalia veneno carentia veneno inficit: venenata veneno liberat.

Fulmen percutiens animal venenosum illud à veneno purgat, percutiens non venenosum illud venenat.

Terra & *aqua* sunt *bases* omnium *corporum* mixtorum *tangibilium*.

Corpora quorum *basis* est *aqua*.

I. Quorum *corporum* basis est *aqua*, & *terra* prædominatur reliquis, aëri & igni; illa sunt *consistentia* propter terræ prædominium & facile tamen *fluxibilia* propter aquæ copiam; qualia sunt *lutum*, *mel*, *butyrum* & similia.

II. Quorum *corporum* basis est *aqua* & *aër* prædominatur, *glabra*, *glutinosa*, facile *inflammabilia*.

III. Quo-

III. Quorum *corporum* basis est *aqua*, & *ignis* prædominatur *terræ* & *aëri* in aqueo composito, oriuntur corpora *subtilia*, rara, penetrantia. *calida*, levia, *inflammabilia* ut *vinum*, distillati spiritus, *aqua* vitæ. Hæc facile *evaporant* si aëri exponantur, quia ignis non tam firmiter aquæ cohæret.

IV. Quorum *corporum* basis est *aqua* & aqua prædominatur reliquis omnibus, terræ, aëri, ibi oritur *aqua* in qua minimum *aëris*, *ignis*, *terræ*.

Corpora quorum basis est Terra.

I. Quorum *corporum* basis est *Terra*, & prædominatur *terra* reliquis elementis, aëri, aquæ, igni, oriuntur *Saxa*, lapides.

II. Quorum *corporum* basis est *Terra* & *aqua* prædominatur aëri & igni, oriuntur *metalla*; gluten terræ in metallis est *aqua* non aër: quia facile calcinantur igne.

III. Quorum *corporum* basis est *Terra* & *aër* prædominatur, oriuntur terræ pingues, *lutum* figlinum, vitrum. Vitri enim gluten est *aër:* quin adeo firmiter cohærent ejus partes ut ignibus resistant.

IV. Quorum *corporum* basis est *Terra* & *ignis* prædominatur, oriuntur succi concreti, *sales*, *nitrum*, *sulphur*, *bitumen*.

Ergo *corpora* sunt vel *tangibilia* vel *intangibilia*. Intangibilium basis sunt *aër* & *ignis*, tangibilium *aqua* & *Terra*.

Quorum *corporum* basis est *aër* & in iis prædominatur *ignis* aquæ & terræ, illa sunt *vaporosa* & *ventosa*, ut *vapores* & *venti*.

Quorum *corporum* basis est *ignis* & in iis prædominatur *aër* aquæ & terræ, illa sunt *combustibilia*.

Corpora constant exiguis partibus, *figura*, *magnitudine*, *situ* differentibus, quæ nunquam tam accurate nexæ & continuatæ sunt, quin plurima *spatia* inter illas patiantur non quidem vacua sed repleta luce cœlesti. Particulæ *aquæ* sunt *longæ*, *læves* & *lubricæ* anguillularum instar, quæ licet jungantur & implicentur, nunquam tamen ita nexæ cohærent ut non facile separentur.

Et contra fere omnes aliæ tam *terræ* quam *aëris* & plerorumque *corporum* particulæ admodum sunt *irregulares* & *inæquales* figuras habent; adeo ut tam parum implicari non possint quin statim mutuo nectantur & hæreant velut impeditæ, quemadmodum rami virgultorum in sepibus. Et quoties illæ ita nectuntur, corpora *dura* componunt, ut *terram*, *lignum* & similia. Contra quoties simpliciter una alteri tantum *imponitur*, velut in ruderosis solet,& non nisi valde parum vel nullo modo implicantur & simul adeo parvæ sunt in agitatione lucis,ut facile moveri & separari possint, multum spatii occupare debent & corpora *liquida*,rarissima & le-

vissima

vissima ut *oleum* aut *aerem* componere.

Quicquid constat ex particulis *subtilissimis*, id mobilissimum, penetrantissimum & efficacissimum est.

Quicquid constat ex particulis *flexilibus*, fluitantibus, *insipidum*, *dulce* est.

Quicquid constat ex particulis se mutuo revincientibus & sistentibus, quales sunt *ramosæ*, id quiescit, cohæret, *durum*, *solidum* est.

Quies est permansio corporum in vicinia corporum immediate contiguorum.

Durities est particularum juxta se mutua consistentia resistens divisioni.

Durum est cujus omnes particulæ juxta se mutuo quiescunt.

Cohærentia est particularum mutuus, inter se, & immediatus contractus.

Molle sive *fluidum* est corpus divisum in multas particulas motibus à se mutuo diversis agitatas.

Proprium *duro* est contactui resistere, ita ut non nisi vi sufficienti disjungi possit.

Fluidi est facile *recedere* ex locis suis.

Quicquid constat ex particulis se mutuo impellentibus est *fluidum*. Fluidum est cujus particulæ motibus à se diversis agitantur. *Fluor* est varia inter se particularum agitatio. *Siccum* est quod constat particulis consistentibus. *Humidum* est quod constat particulis fluidis.

Singula *elementa* pro majori vel minori sub-

ſubtilitate aut craſſitie partium diſtinguuntur in *tres* claſſes: in *minutiſſimas*, breviſſimas, mobiliſſimas: in *mediocres*, minus ſed fortius ac vehementius mobiles, in *maximas*, craſſas, oblongas, ſtriatas, ad motum tardiſſimas.

Ab hac particularum elementarium *triplici* differentia oritur quoque motuum & operationum diverſitas; dum *ſubtiliſſimæ*, minutiſſimæ, breviſſimæ celerrimè quidem ſed ſimul debilius moventur & operantur: *majores* & *maximæ* minus celeriter ſed vehementius, efficacius, fortius ac ponderoſius impellunt.

Inde etiam *rarefactio* & *condenſatio*, quæ differunt magnitudine & parvitate particularum.

Particulæ ſimiles & uniuſmodi magnitudinis communicant inter ſe varietatem ſui motus & reliquos effectus, quos varia determinatio motus ſolet producere: intactis relictis iſtarum operationum reliquis corporibus, quæ influxum particularum iſtius magnitudinis non admittunt Atque hoc eſt præcipuum *ſympathias* & *antipathias* fundamentum.

Quod inter cœleſtes particulas eſt materia lucis: id inter terreſtres ſunt particulæ ruderoſæ ſive volatiles.

Materia Lucis partes quaſcunque materiæ craſſæ pro earum figura, ſitu, proportione diverſimode movet, motu *locali*: & ab hoc motu tam diverſæ operationes procedunt.

cedunt. Hinc pendent ab hoc motu locali materiæ lucis omnium mutationum naturalium causæ. Unde consequi videtur *nihil de novo fieri* omnesque rerum mutationes nihil esse aliud quam migrationem lucis ex una parte in aliam, prout fit materiæ mutatio. *Dilatata* & copiosa est *ignis*. *Concentrata* & contracta *terra* aut *pulvis*.

Lux est *forma* sive *idea* rerum & secundum illam sibi simile producit. Hoc probatur exemplis animalium: quæ secundum conceptam *ideam* generant. e. g. *Iacobi* oves ad baculos diversicolores. Sic ad conspectum formosi equi similes progenerantur. Ita *gravidæ* cum objectum aliquod per subitam spirituum agitationem conceperunt, similem ideam fœtui imprimunt, unde infantes earum idearum in corpore notas impressas gerunt: imo quod magis mirandum, ea anni tempestate qua fructus aut flores tales pullulare solent, etiam tales notæ fœtui impressæ efflorescunt. Ita *idea* vulneris circa eundem locum fœtui imprimitur. Hæ *ideæ* etiam in *cadaveribus* ad tempus manent ut patet ex *cruentatione* cadaverum ad præsentiam homicidæ. Sic *boves* macellum transeuntes mugiunt & terram feriunt: sic *aprugna* & *cervina* salita quam optime eo tempore quo amore tenentur ejus speciei animalia, tam dura & fœtens evadit ut nemo eam comedere possit. Eadem ratione dum floret *vitis*, turbatur in cellis vinum. Imo in ipsis

ipsis *plantis*, resinis, cineribus *ideæ* specificæ manent ut probatur exemplo *urticæ* Quercetani & propria experientia A. 1658. Leidæ tempore acris hyemis in aqua cardui benedicti & cineribus salviæ.

Causa est quia Spiritus cœlestes per ignem expulsi, quamdiu cineres sunt sicci vel in aqua liquati non possunt eos ingredi propter aërem, aquam & ruderosas particulas acris materiæ quæ poros occupat: quamprimum autem aqua illa congelatur (debet autem intensissimo frigore congelari) tum expulsis particulis alienis iterum succedunt illæ quæ propriæ plantæ fuerunt & in cineribus vel salibus effingunt ideam suam plantæ, id est iterum disponunt atomos prout initio fuerant.

Transmutatio particularum ex quibus constant *corpora* fit per motum. I. *abrasionis*, contritionis ac divisionis. Inde oritur materia *primi* elementi subtilis, & materia *secundi* elementi; globulosa vel aërea. II. *Compositionis* sive potius adhæsionis, unde oritur materia *tertii* elementi. III. *inflexionis* qua figurarum multiplex transmutatio fieri potest in iis quæ inflecti apta sunt. His modis omnis corporum alteratio & generatio perficitur.

Tria sunt elementa corporum. I. materia Lucis, ex qua sunt *Sol*, Luna & Stellæ. II. Aër ex quo cœlum sive firmamentum. III. particulæ *crassiores*, ex quibus *terra*.

Materia *Lucis* constat ex particulis diversæ magnitudinis: aliæ ejus particulæ sunt *minutissimæ* & celerrime moventur, unde *frigus*, & hæ habent sedem suam in Luna. Aliæ sunt *majores* & minus celeriter sed simul vehementius ac fortius moventur, unde *calor*, & hæ sedem suam in *Sole* habent: aliæ sunt *maximæ* & hæ longè tardius moventur ac facile sibi mutuo adhærent ac quiescunt. Et hoc tertium genus particularum Lucis figuram habet *triangularem* ex tribus striis in morem cochlearum intortis excavatam; ideo à nonnullis peculiari nomine appellantur particulæ *striatæ*. De his particulis striatis hæc concludunt.

I. Particulæ *striatæ* à *polis* contrariis verticum moventur versus centrum.

II. Hinc quia ab *oppositis* polis veniunt, necessario contrario modo sunt intortæ; ita ut illæ quæ veniunt à polo *australi* in contrarias partes intortæ sint atque illæ quæ veniunt à polo *boreali*: quod animadversione valde dignum putant quia hinc vires magnetis dependeant.

III. Hæ particulæ *striatæ* ac oblongæ valde differunt à reliqua materia subtilissima primi elementi sive Lucis.

IV. Hinc quando ad corpus *Solis* vel alterius stellæ perveniunt, sibi mutuó adhærescunt & quia *poros* habent tam arctos ut particulas aëris sive secundi elementi excludant, hinc transitum luminis impediunt.

diunt & *maculas* conſtituunt. Sic maculas,quæ in ſole ac aliis ſtellis conſpiciuntur, ab his particulis ſtriatis coacervatis & actionem luminis impedientibus deducunt. Sed erroneæ, quia nullæ tales maculæ in ſole dantur prout illi vident qui ſolem irretortis Oculis intueri poſſunt. Maculæ autem à vitris vel teleſcopiis proficiſcuntur.

V. Ab his particulis ſtriatis in *maculam* condenſatis vel iterum diſſipatis fieri volunt quod ſtellæ vel *diſparent* vel novæ *apparent*; vel etiam quod ſtellæ fixæ mutantur in *Cometas* vel *planetas*.

VI. Hæ particulæ *ſtriatæ* componunt etiam materiam tertii elementi, *aërem* & *æthera*.

VII. In quo *corpore* plus eſt talium particularum ſtriatarum, illud eſt *denſum* & pauciores poros habet qui materia primi & ſecundi elementi implentur. Imprimis *aurum* & *metalla*,maxime *Mars* & *ſtannum* & conſtant ex his particulis ſtriatis.

VIII. Sic hæ particulæ ſtriatæ quæ in cœlo videntur conſtituere maculas, in terra ſunt materia tertii elementi.

Materia tertii elementi conſtat ex triplici cordine particularum:aliæ enim ſunt *oblongæ* eæque vel *rigidæ* ut ſalia, vel *flexiles* ut aqueæ; aliæ ſunt *ramoſæ*, molles & flexiles ut *ſulfur* & *olea*: aliæ inſtar ruderum *anguloſæ*, *cubicæ* vel etiam *globoſæ* ut *Mercurius*. Hæ ſunt illæ particulæ quæ

ſpecie

ſpecie *fumi* primo ex corporibus evaporant.

Particulæ *tertii* elementi poſſunt etiam eſſe quadruplices.

I. *Solidæ* & *ruderoſæ* ut in Mercurio.

II. Inſtar *baculi*, *coni*, *cylindri*, *gladii*, *acus*, in longum exporrectæ, ut partes *aquæ*, *Salium*, ſuccorum *acrium*, aceti.

III. *Hamatæ* & *ramoſæ*, ut partes multæ terreſtres *metallicæ*, pinguia ac oleoſa.

IV. *Tuberoſæ*, *lacunoſæ* & *aſperæ* ob aliqualem ramorum fractionem & attritionem, qualia vi ignis, luminis & caloris cœleſtis quotidie producuntur.

Omnis *cohæſio* corporum eſt à particulis *Ramoſis*. Particulis *Ramoſis* immiſcentur particulæ *Ruderoſæ* & cum ſatis magna intervalla inter ipſas reperiunt.

Particulæ *rigidæ* & *oblongæ* quæ habent ſuperficiem duriorem, hinc radiis luminis reflectendis ſunt aptiores & colores præbent. *Color* eſt lux opacata. *Colores* illi variant prout ſuperficies dura variat. Nam ſi illa ſuperficies ſit nitide polita, ut in ſpeculis, radii repercutiuntur ita ut recepti ſunt.

Particulæ *molles* & *ramoſæ* radiis reflectendis ſunt ineptæ; hinc radii luminis omnem motum ſuum in has particulas molles tranſmittunt, & ſtatim ad quietem reducuntur ſive ſuffocantur. Unde radii *ſuffocati* nigreſcunt, ſicut Carbones. *Tria* in univerſum ſunt corporum genera.

Lu-

Lucida, *diaphana*, *opaca*. *Lucida* Sol, ſtellæ, ignis. *Diaphana* æther, aër, aqua. *Opaca*, Luna, terra, nubes: *Lucida* & *opaca* contraria ſunt. *Diaphana* media inter utrumque, quia recipiunt & lucem & tenebras, ſed non retinent.

Lumen ſeu album & *umbra* ſeu nigrum omnibus aliis coloribus componendis ſufficiunt.

Radii ſolis in rebus colore deſtitutis, hoc eſt *nigris*, facilius hærent, quam in corporibus coloratis, & in nullis minus quam in *albis*. Unde charta *nigra* facilius à ſole concentrato *comburitur* quam alba.

Differentia igitur *colorum* eſt a differentia *ſuperficierum*. Quorum *ſuperficies* conſtat ex particulis *rigidis* & *duris*, ea ſunt *alba*: nam nulla corpora reflectendis radiis magis apta quam alba.

Quorum *ſuperficies* conſtat ex particulis *mollibus*, *Ramoſis*, flexilibus, ea ſunt *nigra*: quia nulla corpora reflectendis radiis minus apta quam nigra. Quippe radii luminis dum occurrunt corpori molli facile in illud omnem motum ſuum tranſmittunt & ideo ſtatim ad quietem reducuntur.

Corpora *nigra* dealbantur ſi ſeparentur ab iis particulæ illæ molles & ramoſæ ut appareant rigidæ. Sic cum particulæ illæ molliores vi ignis ſeparantur à *carbonibus*, apparent *cineres* non niſi ex duris & ſolidis particulis conſtantes adeoque albi. Sic

lin-

lintea in ſole ſeparatis particulis mollibus & ramoſis rigeſcunt & dealbantur.

Tres ſunt *baſes* colorum, *nigredo*, *rubedo*, *albedo*. ſub quibus novem colores continentur: ſub ſingulis tres. *Niger* eſt *fuſcus* (ravus) *furvus* (lividus) *ater* (anthracinus) *Ruber* eſt *flavus* (buxeus, citrinus, gilvus, ferrugineus) *fulvus* (aureus, croceus) *rutilus* (ruffus, purpureus, ſanguineus, ruſſeus, puniceus, bajus.) *Albus* eſt *pallidus*, *canus*, *candidus*. *Mixturæ* colorum ita fiunt. Ex *albo* & *nigro* fit cinereus. Ex *albo* & *viridi* thalaſſius. Ex *albo* & *rubro* roſeus, incarnatus. Ex cœruleo & *albo* cœruleus. Ex *albo* cœruleus & *rubro* columbinus. Ex *cæruleo* & *rubro* purpureus. Ex *rubro* & *flavo* igneus. Ex *viridi* & *flavo* pſittacinus. Ex *cæruleo* & *flavo* viridis.

Duo colores extremi, *albus* & *niger*: medii tres, *flavus*, *rubeus*, *cæruleus*. Ex his duobus extremis ac tribus mediis omnes reliqui oriuntur. Ex *flavo* & *rubro* aureus; ex *rubro* & *cæruleo* purpureus; ex *flavo* & *cæruleo* viridis.

Ex *plumbo* ſumma *albedo* ſolo aceto fit, *nigredo* ſumma *oleo*; ex eodem *uſtione* flavus, miniatus, hyacinthinus, viridis, ruber elicitur. Ex *vitriolo* quoque ruber, albus, viridis, niger, cœruleus & flavus. Ita ut nullum *minerale* ſit quod non omnes fere colores in ſe complectatur.

Ex

Ex coloribus *herbarum* de earum natura judicatur.

Lux est actus diaphani. *Color* est reflexio lucis ad oculos. *Lux* à raritate, *color* à densitate partium. *Color* est lux reflexa sive refracta. Quo major *angulus* refractionis eo magis dispergitur lux & plus tenebrarum admittit, unde colores *obscuriores*; quo minor eo minus dispergitur lux & minus tenebrarum admittit, unde colores *clariores* & *lucidiores*.

Corpora vel admittunt lucem vel refrangunt. Quæ *admittunt* lucem sunt *porosa:* quæ *refrangunt* sunt *solida*. Porosa vel habent poros *rectos* vel rectis *æquivalentes* & hæc sunt *diaphana* ac *pellucida* quia radii lucis totum corpus pervadunt & nuspiam refranguntur. Vel habent poros *irregulares* ac *obliquos* & hæc sunt *nigra:* quia radios lucis tortuosis illis poris receptos absorbent neque reflectunt ob partium corporis mollitiem. Duo sunt quæ corpus aliquod reddunt alteri corpori *penetrabile*, cavitates sive *pori* & *mollities* sive humiditas. Igitur siccitas, durities, soliditas, corpora reddunt *impenetrabilia* vel minus *penetrabilia*. Ita corpus *Diaphanum* si comprimatur, ut aqua in glaciem densata, reflectit lumen quod ante compressionem transmittebat & albius evadit. E contrario *mollities*, *unctuositas*, *viscitas*, nigredinem auget, quia lux facile subit poros molles & in iis velut inviscа-

viſcatur ut non poſſit regredi.

Albedo plurimum, *nigredo* minimum lucis reflectit, unde corpora ſive *ſuperficies* denſa, aſpera, dura, rara, reflectendæ luci aptiſſima, quæ reflexa lux eſt *albedo*. Color ruber oritur ex particulis ſiccioribus adſtringentibus, aſperioribus & fixioribus, quæ ſi in ſubſtantiam mollem, levem, viſcidam æqualem tranſeant, albeſcunt. Corpora ſive *ſuperficies* mollis & poroſa abſorbendæ luci aptiſſima; unde *nigredo*. Nam lux dum incidit in ſuperficiem mollem & poroſam, facile eam ſubit, intrat atque ibi abſorbetur & occultatur in cavernis poroſis, neque ob mollitiem reflectitur verſus oculos noſtros. Hinc *Æthiopum* cutis mollis & poroſa: quia Sol abſumſit particulas rigidas.

Color igitur dependet à *ſuperficie* corporis & prout hæc magis vel minus apta reflectendæ luci, ita colores variant.

Colores alii magis accedunt ad *album*, ut flavus, purpureus, alii ad *nigrum* ut viridis.

Acerba & *auſtera* denigrant: *dulcia* ſive *ſulfurea*, rubefaciunt; *ſalſa* & *amara* dealbant.

Ex *albo* & *nigro* mixtis omnes alii colores oriuntur. Si *album* & *nigrum* miſceatur æquali proportione oritur *rubedo*. Si *lacti* indas *fuliginem* ruffeſcit.

Ex *tribus* partibus *albedinis* & dimidia *nigredinis* oritur *viridis*. Ex *duabus* partibus

bus *albi* & *una* parte *nigri* oritur *flavus*. Ex *una* & *dimidia* albi & *una* nigri *purpura*. Ex *una* & *dimidia* nigri & *una* albi *cœruleus*. Ex *duabus* partibus *nigri* & *una* parte *albi* fit *violaceus*.

Si color *albus* valde ſuperet *nigrum*, rubedo & flavedo ex tali mixtura orietur: ſi *nigrum* valde & majori quantitate ſuperet album, violaceus, thalaſſius & cœruleus orietur.

Omne *gratum* odore, colore, ſapore; à bona propoitione partium: omne *ingratum* à mala proportione ſive harmonia provenit.

Proportiones ſonorum *harmonicæ* ſunt, *Vniſonus* ut 1. ad 1. *Diapaſon* ut 1. ad 2. *Diapente* ut 3. & 2. id eſt ſeſquia'tera proportio.

Diateſſaron ut 4. & 3. id eſt ſeſquitertia proportio. *Diapaſon* cum *diapente*, 3. & 1.

Dis diapaſon ut 4. ad 1. proportio quadrupla.

Sonus *harmonicus* eſt vel *ſimplex* ut *uniſonus* vel *compoſitus*, diapaſon, diapente, diateſſaron. *Vniſonus* eſt conſonantia; quia in illo nulla differentia ſonorum in acuto & gravi, ſed ſe habet ad conſonantias, ut unitas ad numeros. *Octava* eſt prima omnium conſonantiarum & maxima, quæ omnes alias conſonantias in ſe complectitur. Unde *diapaſon* appellatur. *Quinta* eſt omnium conſonantiarum gratiſſima.

Quarta

Quarta eſt peſſima omnium conſonantiarum. *Tardior* ſonus tardiores in nobis motus excitat, quales ſunt languor, triſtitia, metus, ſuperbia; *celerior* celeriores affectus, ut lætitiam.

Omnia *ſulfurea* ſunt *ſonora* ut *Mars, Antimonium, Luna, Venus, ſtannum. Mercurialia* ſunt *ſurda* ut *Saturnus, Sol, Mercurius. Siccitas* eſt cauſa ſoni, *mollities* ſurdi.

Omnia *pinguia* & *oleoſa*, ſunt odora, ut *caſtoreum, ambra, laſer, ſtyrax, Zibetum, Santali, Caryophylla.* Omnis *fœtor* à mala *coctione;* oritur hæc vel à nimio *frigore* ut in *papavere, cicuta, mandragora,* vel à nimio *calore* ut in *cæpis.* Reges omnium odorum ſunt *ambra* & *Zibetum:* odor *fœtidus* gratum obtundit. Sic *ſtyrax* vel *ræpe* ambram.

Odor eſt vel gratus vel gravis. *Gratus* qui placet: *gravis* qui diſplicet naturæ. Non dantur aliæ odorum differentiæ.

Sapor ſalſus cum *pingui* ſummam delectationem affert; cum *dulci* adeo parum conſonat ut melius amaris veluti *olivis* optime ſalitis ſocietur. *Inſipidum* & *adſtringens* cum *ſalino* optime convenit.

Cum inſipido *acrus*, cum adſtringente *acidus* bene convenit. *Auſterum* cum *acri* moderato convenit.

Amarus ſapor nunquam infelicius jungitur quam cum *dulci;* & *amarus* ſapor cum nullo magis convenit quam cum *ſalſo,* ut in olivis ſalitis. *Amara* ut abſin-

thium, ruta, item *insipida*, ova & caseus, & *acerba* ut olivæ bene conveniunt cum *salso* sapore: sed *amara* cum *dulcibus* haud quaquam.

Hinc herbæ & fructus acidi, amari ac salsi ut *olivæ*, *limones*, *aurantia*, *lentiscus*, *palma*, sale communi crescunt ac lætantur, dulces autem & pingues sale communi pereunt & nitroso gaudent, ut *vitis*, *frumentum*, *poma*, *pyrus*.

Elementa simplicia sunt *insipida* & *inodora*, ut *aqua*, *terra*, *aër*, *sabulum*, *pulvis*.

Sapor & *odor* accidit *compositis*.

Sapor *acris* dividit linguam calore, *acerbus* & *acidus* contrahit & constringit frigore.

Inter saporem acrem, salsum, amarum & acidum, acerbum, austerum hoc est discrimen. *Acris* provenit à particulis tenuibus & materia lucis majori, densiore sive copiosiore; hinc vehementius penetrat linguam & poros ejus divellit. *Acidus* & *acerbus* à particulis crassioribus & materia lucis minori, unde acutius pungit, vellicat, contrahit, constringit.

Quodcunque in suo extrinseco est *dulce*, in intrinseco est *amarum* & contra, sic *rosa* intus est amara, *absinthium* vero dulce. *Saccharum* extus dulcissimum: intus *austerissimum* & *amarissimum*.

Ex *pingui* & *dulci* per coctionem oritur *salsus*. Soli sapores temperati dulcis & pinguis nutriunt.

Ama-

Amara minime omnium nutriunt & alunt.

Saccharum omnibus cibis admiſceri poteſt, exceptis inteſtinis: ſi *inteſtina* ſaccharo condiantur, fœtent non ſecus ac recens ſtercus bovinum.

Sapores *concordes* ſunt acidus, acerbus, auſterus, inſipidus, pinguis, ſalſus, acris, amarus. *Diſcordes*, dulcis, ſalſus, amarus.

Sapores ſunt *novem* diviſi in tres claſſes: Frigidos, temperatos & calidos. *Frigidi* operantur à circumferentia ad centrum,& ſunt acerbus, auſterus, acidus.

Temperati poros corporum emolliunt & ſunt inſipidus ſive viſcoſus, pinguis, dulcis.

Calidi operantur à centro ad circumferentiam & ſunt ſalſus, amarus, acris.

Saporum calidiſſimus *acer* eſt: hinc *amarus*, deinde *ſalſus*. Frigidiſſimus vero eſt *acerbus*: deinde *auſterus* & *acidus*.

Frigidorum proprium eſt *poros* corporum *contrahere* & oſcula vaſorum *coarctare* vel occludere. Hinc contrahendo poros extrahunt humorem & per conſequens exſiccant: materiam ſubtilem lucis concentrant ac proinde repellunt: excludunt materiam primi elementi majorem & per conſequens refrigerant.

Acerbum eſt congelans, conſtringens, ſtrangulans, obſtupefaciens, narcoticum.

Austerum est adstringens, exasperans, coadunans, consolidans, inspissans, comprimens, contrahens, condensans, incrassans, refrigerans, repellens, siccans, stupefaciens roborans, cicatrisans, conglutinans. Reprimit omnes sapores & opponitur rarefacientibus & aperientibus ut acidis. Tarde & debiliter operatur. *Austerus* sapor mitior *acerbo* est. Heurn.

Acidum est attenuans, penetrans, incidens, aperiens, perforans, deoppilans, dividens, subtilians, inspissans, exasperans, abstergens, extinguens, mordicans, attenuans, densans, dividens, refrigerans, repercutiens. Insipidum & dulce confortat; salsum & acre obtundit. Cito & mediocriter operatur.

Temperatorum proprium est poros corporum emollire: *insipidum* sive *viscosum* est lubricans, inflans, oppilans, inspissans, contrahans, congelans, constringens, densans, extinguens, stupefaciens, obstruens, leniens, emolliens, incrassans. Operatur tarde & debiliter.

Pingue est leniens, lambificans, relaxans, mollificans, inflans, oppilans, humectans, oblinens, conglutinans, exaequans, nutriens. Operatur tarde & debiliter.

Dulce est laxans, leniens, oppilans, ventosum, coquens, inflans, digerens, dilatans, maturans. Operatur tarde & lente.

Calidorum proprium est *poros* corporum &

& *oſcula* vaſorum dilatare. Hinc dilatando poros & amplificando attrahunt humores & per conſequens exſiccant: admittunt materiam primi elementi majorem & per conſequens calefaciunt & inflammant.

Salſum eſt incidens, abſtergens, ſubtilians, liquefaciens, mordicans, præſervans à putredine, conturbans, mundans, aperiens, exaſperans, conſtringens, contrahens, expurgans radendo, liquans, ſtimulans, ſiccans, ſitim excitans, tenuans, digerens, exſiccans carminans, conſervans. Operatur tarde & debiliter.

Amarum deſiccans, conſumens, aperiens orificia venarum, fluidum reddens, exiccans, præſervans à putrefactione, conturbans, exaſperans, reſolvens, abſtergens, attrahens, extenuans, liquans, incidens, tergens, attenuans, abſorbens, diaphoreticum, diureticum, errhinum. Operatur fortiter & tarde.

Acre inflammabile, mordicans, penetrans, adurens, excorians, aperiens, carminans, exiccans, extenuans, incidens, ſubtilians, dividens, attenuans, attrahens à longinquo, reſolvens, incruſtans, diſcutiens, dividens, extenuans, reſolvens, adurens, terebrans, veſicans, corrodens. Operatur cito & fortiter.

Acidus ſapor reperitur in *Tartaro*, *auſterus* in *alumine*, *acerbus* in *vitriolo*, *inſipidus* in cineribus ſive pulvere, *pinguis* in *Nitro*, *dulcis* in ſaccharo, *ſalſus* in ſale

communi, *amarus* in *vitriolo* albo, & absinthio, *acris* in *Sale armoniaco.*

Septem tantum sunt odores, sapores & soni grati sive harmonici: reliqui ingrati, ut inter sapores amarus.

Acidus & *amarus* sapor sunt contrarii ac se mutuo occidunt & transmutant in insipidum vel pinguem. Ex *acido* & *amaro* fit *salsum* seu urinosum. *Acida* & *amara* mutuo effervescunt & se præcipitant ut *aqua fortis* & oleum *tartari.* Hinc in atra bile quæ amara prodest acetum; nocet in nigra bile quæ austera.

Sapor *amarus* generatur ex adustione pinguis & acidi. Quæ constant ex particulis *ramosis* cocta amarescunt. *Pingue* constat particulis ramosis mollibus, quæ *coctione* sive adustione *indurescunt* & ex mollibus fiunt *rigidæ* instar scoparum ac amarescunt. Hinc *amara* abstergunt, quia habent particulas *scoparum* instar quæ suis ramis rigidis everrunt & abstergunt. Si vero illæ particulæ ramosæ fortius *adurantur*, tum rami penitus confringuntur & ex ramosis fiunt oblongi instar bacillorum, unde salsa & salia acria

Particulæ *tertii* elementi in eo solum differunt à materia subtili lucis & aëris, quod sunt *Crassiores*, irregulariores, motu tardiores & confusiores. Omnium enim mundi corporum una eademque est materia. Atque hinc dicitur, *inferius* est sicut *superius.* Non enim differunt materialiter

Sol

Sol & *Limus*, *Cœlum* & *terra*, sed tantum *figura*, *magnitudine*, *motu*.

Particulæ *tertii* elementi spectantur vel ut *separatæ* singulæ ab aliis seorsim vel ut inter se compositæ. *Seorsim* constituunt ignem & aërem. *Ignem* cum motum primi elementi sequuntur. *Aërem* cum motum secundi elementi sive aëris sequuntur.

Ex particulis tertii elementi summe attenuatis generatur *ignis* & *aër*. *Ignis* cum particulæ terrestres singulæ seorsim primi elementi motum sequuntur, *Aërem* cum motu secundi elementi sive aëris circumaguntur. *Aër* enim nihil aliud est quam congeries particularum tertii elementi tam tenuium & à se mutuo disjunctarum ut quibuslibet motibus globulorum cœlestium obsequantur. Ideo *corpus* est valde *rarum*, fluidum, pellucidum & ex minutiis cujuslibet figuræ potest componi. Unde calore facile rarescit, frigore condensatur & compressus violenter erumpit.

Particulæ *tertii* elementi sunt *triplicis* figuræ & magnitudinis, & distinguuntur in duriores ac molliores. *Duriores* sunt vel ruderosæ vel oblongæ. *Ruderosæ* innumerarum figurarum & magnitudinum, maximæ tamen *globosæ*, *cubicæ* & *angulosæ*. Hæ *ramosis* tenuiores sive volatiliores sunt, quæ in igne primo exhalant ac evaporant ac constituunt *salia* volatilia.

Crassiores tam *solidæ* sunt ut ignis vi attolli nequeant figurasque habent ut plurimum angulosas & irregulares. Unde fit ut aliæ aliis incumbentes sibi mutuo non adhæreant, nec etiam nisi forte in minutissimis punctis sese contingunt. Et hæ particulæ *cineres* constituunt ac in igne *vitrificantur.*

Si *justa* proportio sit inter particulas ruderosas, ramosas & oblongas, *aër* salubris constituitur.

Si vero sit *disproportio* inter has particulas, oritur *aër* insalubris. Nam si *major* sit copia particularum *ruderosarum* vel *oblongarum* rigidarum & minor *ramosarum* ac *mollium*, oritur magna aëris *siccitas*, frigida vel calida, propter defectum *humiditatis*, quæ à particulis *mollibus* & *flexilibus*; unde *intemperies* vel *pestilitas*, à particulis ruderosis adstringentibus & rigidis, exurentibus ac erodentibus. Hinc *aër* pestilens corrigitur incensis *ignibus* sulfureis, à quibus aër particulis mollibus impregnatur & *diaphoretica* prosunt quia poros siccitate frigida particularum aëris ruderosarum constrictos dilatant ac à centro ad circumferentiam humores noxios expellunt.

Particulæ *ruderosæ* ramosis & oblongis inseruntur non secus ac in muro lapilli minores majoribus. Et quia non cohærent neque oblongæ ac rigidæ sunt, hinc primo omnium ex corporibus dum dissol-

vuntur

vuntur per ignem, specie *fumi* vel *vaporis* exeunt, ac quo sunt tenuiores vel crassiores, eo citius vel tardius evaporant. Et cum hæ particulæ quæ ex corporibus dum uruntur, egrediuntur, sint tam multæ ut vim habeant materiam cœlestem ex aliquo aëris vicini spatio expellendi, spatium illud *flamma* impleat: si vero sint pauciores fit *ignis* sive flamma.

Particulæ *oblongæ*, ramis destitutæ, *teretes* instar bacillorum se ruderosis & ramosis interserunt, quoties satis magna intervalla inter ipsas reperiunt, sed non facile illis annectuntur.

Et hæc particulæ sunt *duplices*; flexiles & rigidæ. *Flexiles*, lubricæ, facile à se invicem separabiles instar *anguillularum*, quæ constituunt aquam insipidam. Hæ particulæ vi caloris ab invicem disjunctæ & celeriter motæ *vapores* constituunt, qui ubi in altum elevati sunt, frigore succedente torpescunt & amissa vaporis forma in aquam iterum convertuntur.

Rigidæ, inflexiles *salia* componunt & hæ sunt vel *acutæ*, instar acicularum quæ constituunt salia *pungentia* & *acida*, velut *vitriolum*, *alumen* vel *pyramidales* ut in *Nitro* vel *obtusiores* & *cubicæ* ut in *sale* communi.

Ramosæ, molliores, flexiles, oleaginosæ & ipsæ innumerarum figurarum ac magnitudinum.

Hæ particulæ *ramosæ* sunt *duum* gene-

rum; aliæ enim ſunt valde *tenues*, breves, volatiles & flexiles, ita tamen ut ſibi mutuo non adhæreant; tales tamen ut perexigua ſpatia circa-ſe relinquant, quæ non à materia ſecundi elementi ſed tantum à materia Lucis poſſunt occupari. Tales particulas habet Sp. vini.

Aliæ autem ſunt *craſſiores*, longiores & multiplicibus ramis implexiores, quæ mutuo ſibi adhærent ac implicantur, quæ ſi ſolæ ſint, conſtituunt *olea* & *butyrum*: ſi terreſtribus *ſalinis* permixta, *ſulfura* & *bitumina*. Unde igni diutius reſiſtunt & tardius in fumum ac vapores reſolvuntur, quales videmus in *carbonibus* ignitis.

Ramoſæ particulæ facile miſcentur cum *ruderoſis* & *acidis*; nullo modo vel difficillime cum *oblongis* ſive *flexilibus*, ut aqueis ſive *rigidis*, ut ſalinis: quia hæ nimis craſſæ ſunt quam ut amplecti poſſint tam ſubtiles minutias. Hinc *ſulfur* conſtat ex particulis acidis & ramoſis: exiguum autem ſalis continet. Sic *oleum* & *pinguedo* facile conjungitur Mercurio & eum necat. At *ſal* vel *aqua* non miſcetur *oleo*.

Particulæ *ramoſæ* ſunt *criſpæ*: criſpatio ab humore.

In quibuſdam corporibus particulæ *ramoſæ* adeo firmiter ſunt connexæ ut ab igne difficillime vel omnino non ſeparari poſſint ut in *Marte*, *Venere*, *Luna* & maxime omnium *auro* apparet, facile autem per

aquam

aquam fortem ſeparantur. Cauſa eſt quia *metalla* deſtituuntur particulis *acidis*, quibus per ignem fuſionis ſpoliata ſunt. Hinc illas particulas avide imbibunt & dum ſe illis ſatiare volunt, ſimul diſſolvuntur ac corroduntur. Habent ſe igitur *metalla* per ignem ſpoliata particulis acidis, inſtar *ſalis* fixi: quemadmodum enim *Sal* fixus avide arripit ſalem *acetoſum* & ſe cum eo conjungit, ita etiam metalla avide attrahunt ſpiritus acidos & dum illi poros metallorum ſubeunt, metalla ſimul ſua aciditate & tenuitate corrodunt ac diſſolvunt. *Saliva* jejunorum abundat particulis acidis.

Una quælibet *particula* terreſtris ſive *oblonga*, ſive *ramoſa*, ſive *ruderoſa*, eſt in triplici ſtatu vel *ſubtiliſſima* ac tenuiſſima & tunc eſt *volatilis*, vel *craſſior* ac minus ſubtilis & tunc eſt partim *volatilis* partim *fixa* ut urinoſa. Vel eſt *craſſiſſima* & eſt *fixa* ut *alcalia*.

Raro reperiuntur illa *corpora* quæ *omnes* particulas vel *volatiles* vel *fuſas* vel *fixas* habent, pleraque corpora naturalia ſub triplici ſtatu ſimul illas particulas continent, licet in aliis partes volatiles, in aliis fuſæ, in aliis fixæ abundent.

Corpora quæ carent particulis *acidis* & abundant particulis *viſcoſis*, *ramoſis*, *rigidis*, amant corpora quæ abundant particulis *acidis* & contra. Ex hoc redditur ratio *antipathiæ* & *ſympathiæ*.

Hinc enim patet cur *aqua fortis*, *fumus Mercurii* vel *Saturni* aurum & alia metalla corrodant. Cur *sulphur*, cera, lignum non corrodatur ab illis: cur *lixivia* extrahant Sulfureas particulas mineralium : Cur *magnes* trahat ferrum: cur se corpora mutuo præcipitent.

Corpora quæ *solvuntur* in *aqua* simplici constant ex particulis rigidis, velut salia ut & gummata, quæ solvuntur in *aqua forti* ex particulis metallicis viscosis: quæ in *Sp. V.* ex particulis resinosis.

Quæ *attrahunt* constant ex particulis *uncinatis* sive *hamatis* ut *magnes*, quæ *attrahuntur* ex *ansulis* analogis ut *ferrum.*

Quædam *corpora* particulas tam firmiter sibi mutuo implexas ac connexas habent contra vim *ignis*, ut nulla ejus etiam intensissima vi divelli queant, sed potius arctius compingantur: & eadem facillime solvuntur ac liquescunt, velut *nix* in aqua calida, in *aqua Regis*, vel *aqua forti*, ut *Sol* & *Luna*, quod maxime admirabile.

Species sunt *vegetabilia*, *luminaria*, *animalia*.

Vegetabilia sunt *fossilia* & *plantæ.* Omnia *fossilia* componuntur ex diversis misturis succorum *acrium* & exhalationum *oleaginosarum*: sive ex particulis *ruderosis* & *ramosis*. Succi *acres* in terra per meatus *crustæ* illius crassissimæ, ex qua metalla

talla oriuntur fluentes, quasdam illis particulas *abradunt* & ab aliis disjungunt prout *aqua fortis* metalla corrodit; quæ deinde materia *oleaginosa* involutæ facile ab *argento* vivo calore rarefacto sursum rapiuntur & pro diversis suis magnitudinibus ac figuris diversa *metalla* constituunt.

Metalla alia generantur à succis *frigidis* sive *austeris* vel *vitriolatis*, ut *Luna*, *Venus*, *Mars*: alia à succis *calidis* sive *acribus* & *amaris*, urinosis, Salinis, Salarmoniacis ut *Sol*.

Metalla alia constant ex particulis *mobilioribus* & *solidioribus* quæ ad figuram cubi, globi, vel ruderum propius accedunt ut *Sol*, *Luna*, *Saturnus*. *Aurum*, quod *ferro* longe densius est tamen multo *facilius* liquescit; quia particulæ *ramis* destitutæ non tam firmiter sibi mutuo implicantur. Unde *oleum*, imprimis *anisi* facillime congelatur ob particulas *ramosas* se mutuo implicantes.

Alia constant ex *ramosis* crassis, sed non adeo solidis ut *ferrum*. Unde nullum metallum tam difficulter absque vi ignis malleo *flectitur* vel igne *liquescit*, nec ullum adeo *durum* sine alterius corporis mistura reddi potest, ut in *chalybe* videri potest, quam ferrum: quæ tria indicio sunt ejus *ramenta* magis *ramosa* sive *angulosa* esse quam cæterorum & ideo firmius sibi annecti. Et quamvis *ferrum* sit aliis metallis *durius* & minus *fusile*; est tamen etiam

unum

unum ex minime *ponderosis* & facile rubigine corrumpitur aut *aqua forti* eroditur, quæ omnia indicio sunt ejus particulas non esse aliorum metallorum particulis solidiores, ut sunt crassiores, sed multos in illis *meatus* contineri & *poros* in morem *cochlearum* intortos, per quos transeunt particulæ *striatæ* ex *magnete* & *ferrum* trahunt.

Mercurii natura hæc est. *Particulæ* ejus sunt *teretes* & *læves* ita ut ob gravitatem suam sibi mutuo incumbant & ob crassitiem suam particulas secundi elementi non ita admittant ut *aqua*: hinc non est *pellucidus*: facile tamen *agitatur* tum à minutioribus particulis, qui nonnullos etiam *poros* inter ejus particulas reperiunt, tum à materia subtili lucis quæ omnes angustissimos angulos ibi relictos replet. Hinc fit *liquor* maxime *ponderosus* & minime pellucidus. Mercurius etsi maxime mobilis, *frigidus* tamen, quia poros tam angustos habet ut non nisi materiam subtilissimam admittat; unde celerrimus quidem ejus motus sed simul debilis ac frigidus.

Fossilia sunt *lapides*, *mineralia*, *metalla*.

Mineralia & *metalla* fiunt ex particulis succorum *acrium* admixtis *exhalationibus*, id est particulis *ramosis* tenuissimis, *oleagineæ* materiæ.

Lapides sunt vulgares & pretiosi. *Vulgares*, porosi, & solidi. *Porosi*, pumex, tophus,

phus, oſtrocolla. *Solidi*, marmor, ſilex, ſmiris, cos.

Pretioſi, unicolores, diverſicolores.

Vnicolores albi, *cryſtallus* figura *hexagona* pyramidali, *adamas* figura *octaedra*, margaritæ. *Nigri, magnes*, *amianthus*. Magnes trahit ferrum quia ex magnete prodeunt corpuſcula *uncinata* ſive *hamata* & in ferro *anſulæ* analogæ ſunt quibus inſerta ferrum ad corpus ſuum rapiunt.

Mixti cœrulei *ſmaragdus* figura *hexagona* pyramidali, *ſapphyrus*, *beryllus*, *Turceſia*.*

Violacei, *amethyſtus*, figura *hexagona* pyramidali; rubei remiſſe *Sarda*, *Chyſolithus* ſive *Topaſius*; intenſe *granati* figura *globoſa*, *corallia*, *rubini*, *hyacinthi*.

Diverſicolores, opalus, jaſpis.

Mineralia ſunt *Antimonium*, *arſenicum*, *Biſmuthum*, *Cnicum*, lapis *calaminaris*, *cebolt*, *marcaſita*.

Metalla imperfecta ſunt *dura*, æs, ferrum, *mollia*, argentum vivum, plumbum, ſtannum: *perfecta*, argentum, aurum.

Terrea ſunt *argilla*, *marga*, *creta*.

Aquea ſunt *ſalia*. *Vitriolum*, *alumen*, ita generatur. particulæ *rigidæ* ſalium in terra à calore exagitatæ, ex rigidis & teretibus *planæ* ac *flexiles* redduntur & dum corporibus aliis duris alliduntur, *gladiolorum* inſtar exacuuntur, & ſuccos acres, erodentes, acidos, conſtituunt, qui permixti cum metallica materia in *Vitriolum*, *alumen*, & alia

alia transeunt. Et hi succi *acres* arte Chimica iterum à materia metallica separari & in *Aquam fortem* converti possunt.

Figura *Salis* communis est *Cubica*, sensim ad *pyramidalem* ascendente, Salis *gemmæ* merè *cubica*. Nitri *conica*. Vitrioli Martis *cubica* vel *trapezia*, Veneris *hexagona*.

Omnia *Salia* constant ex particulis *oblongis*: differentia autem salium est à diversa positura & figura particularum oblongarum. Nam si componantur *hexaedricæ*, oritur *Nitrum*, si *cubicæ* Sal *commune* si *Rhombicæ Vitriolum* si *octaedricæ alumen*; si *tetrahedricæ* Sal *urinæ* & *Salarmoniacus*. *Nitrum* constat ex maxima copia particularum *Acidarum* volatilium.

Pinguia sunt *olea*, *naphta*, *petroleum*, *asphaltus*, *sulfura* & *olea* ita generantur. Particulæ *molliores* motu primi elementi discerpuntur in multos minutissimos & quam maxime flexiles ramulos, qui ramuli terrestribus aliis particulis adhærentes, componunt *sulfur*, *bitumen* & omnia *pinguia*, ac *oleosa*. *Sulfur* constat particulis succorum *acrium* quæ tam tenuibus & spissis materiæ oleaginosæ ramulis sunt involutæ ut permulti meatus inter istos ramulos soli materiæ primi elementi pateant. Hinc maxime *inflammabiles* & *calidissimæ*.

Sulfura sunt vel simplicia, ut *sulfur*, *succinus*, *ambra*, vel mixta, *Turfæ*, *ampelitis*, *lithanthrax*.

Plantæ frigidæ nascuntur plerumque in locis

locis *putridis*, aquis vel ripis, juxta ſtagna, inter ſtercora & ſordes.

Colore ſunt impenſe *viridi*, præſertim in *frigore*: nam *calore* palleſcunt ut in *helleboro* nigro & *mandragora* oſtendit Scaliger de plantis.

Flore *cæruleo* vel miſto ex *cæruleo* & *albo* aut modice, & lente rubeſcente. *Corpore* ſunt *laxo* ſine evidenti ſoliditate. *Sapor* eſt ſtipticus, auſterus, acetoſus aut inſipidus. *Odor* obtuſus aut fœtidus. Si ſimul ſint *humida*, folia habent *fluida*, *craſſa*, cum totius figuræ amplitudine. Si ſint *ſicca* corpus eſt *ſtrictum*, horridum, rugoſum. *Alba* in genere frigida & ſicca ſunt.

Frigida *primo* gradu ſunt *acetoſa*, ut picri, radices cichorii, acetoſa, plantago.

Frigida *ſecundo* gradu ſunt *auſtera*.

Frigida *tertio* gradu ſunt *acerba*, pyra ſylveſtria, dryopteris, radix arundinis.

Temperatæ ſunt *ſanguinea* ut flos tunicæ, roſa rubra, pæonia, bugloſſum, borrago, viola purpurea, fumus terræ, digitalis, anagallis, rubra tinctorum, anchuſa, ſatyria rubra, aſphodelus, perſicaria, perforata, glycyrrhiza, jujubæ, aſparagus.

Hæc ſunt plerumque *calida* & *humida*, habent *folia* dilatata, craſſa, procera, lata, laxa, ſuccoſa, continua, non ſecta ut *ſatyria*, *lilia*, *braſſica*, *aizoum*. Solvunt, digerunt, aperiunt, laxant, molliunt, amplificant poros, leniunt molliter, lubrificant, ſcabritiem tollunt ut *fænugræcum*, *lilium*,

lilium, *linum*, *uvæ passæ*.

Calidæ naſcuntur in *montibus* altis orientem vel meridiem verſus vel in locis arenoſis ac ſaxoſis. *Foliis* ſunt hirſutæ & multis foliis tenuioribus refertæ. Quibus *ſetæ* ſunt ſeu *Capillares* ramuli hinc inde diſperſi eminenter ſunt *calida*.

Flores *flavi*, impenſe *rubei*, molliter albi. Odor *gratus* & penetrans cerebrum. Sapor *acris* & *mordicans*.

Calidæ *primi* gradus ſunt *ſalſa*, ut *braſſica* capitata. Si *calidæ* & *ſiccæ* folia habent *criſpa*, corpus *tenue* & gracile, abſtergunt, molliunt, maturant, tollunt infarctus, coquunt, ut *heptaphyllon*, *pentaphyllon*.

Calidæ *ſecundo* gradu ſunt *amaræ* ut nux myriſtica, cardamomum. Hæ ſunt *lanuginoſæ*, colore ex albo & viridi ut *verbaſcum*.

Calida *tertio* gradu id eſt *igneo* ſunt levia, glabra, denſa eaque vel *ſicca* ut piper, galanga, vel *humida* ut tithymalli, lathyris, ranunculus. Alia ſunt calida in *tertii* gradus principio ut zinziber & piper: alia in *fine* & exceſſu ut *Euphorbium*, *arſenicum*.

Omnia *Calida*, maxime in exceſſu penetrant, attenuant, erodunt, proliciunt per poros.

Acutangula ſunt *acida* : obtuſangula ſunt *acerba* : rectangula ſunt *auſtera*. Quippe auſterum medium inter acutum & obtuſum.

Acida.

Acida.	*Austera.*	*Acerba.*
Acetosa.	Asplenum.	Aconitum.
Acetum.		Alumen.
Atriplex.	Balaustia.	
Berberi.	Bistorta.	
Bursa pastoris	Caryophyl-	
Capparis.	lata.	Cicuta.
Cichorea.	Cydonea.	Consiligo.
Cupressus.	Charadranon	
Dens leonis.		
Endivia sive	Fabæ.	
scariola.	Galla.	Helleborus.
		Hyoscyamus
Herba fortis.	Hypocistis.	Mala aurea
Lactula.	Lappa major.	insana
	Mespilus.	Mandragora.
	Mora.	Meconium.
Nitrum.	Myrrha.	Napellus.
Oxylapa-	Muscus.	Opium.
thum,		
sive rumex.		Papaver.
Patientia.	Pruna Sylv.	Pastinaca lu-
Ribes.		tea Sylve-
Ruta.		stris.
Salix.	Sanguisorba.	Solatrum.
Sena.	Savina.	Solanum
Spinachia.	Solabar.	quadrifo-
Succus citri.		lium,
Tamariscus.	Terra sigilla-	sive herba
Tamarindi	ta.	Paridis
Terdactyli.	Tormentilla	Taxus.
	Vitriolum.	

Viscosa.	*Pinguia.*	*Dulcia:*
Albumen ovi.		MEL.
Amygdalus.		Anisum.
Amara dulcis.		Amygdalæ
Balsamum.		dulces.
Betonica.		Agaricus.
Borrago.		
Brassica.		
Bellis.		
Buglossa.	Butyrum.	
Cucumis.	Cucurbita.	
Cerasa.		Crocus.
Caryophylli.		
Eupatorium		Enula.
Avic.		Ficus.
Farfara seu tus		Fungi.
silago glutea.		Glycyrrhiza.
Lilia.	Juniperus.	Jujubæ.
Lilium conval-	Linum.	Juglans.
lium.		Lac.
Malva.		Mala citria.
Melones.		Mel.
Narcissus.		Melilotus.
Nymphæa.		
Origanum.	Oleum.	
Persicaria.		
Pepones.	Portulaca.	Polypodium.
Portulaca.		
Rosa.		
Salicaria.	Resina there-	
Sambucus.	binthina.	Saccharum.
Symphytum.		Satyria.
Tragacantha.		
Trifolia.		
Triticum.		
Verbascum.		
Veronica.		Vitellus ovi.
Viscum.		

Salsa.

Salsa.	*Amara.*	*Acria.*
SAL.		
Aquilegia.	Absinthium	
Amaracus si-	ponticum.	
ve majorana	Allium.	
	Acorus.	
Cardui.	Asarum.	
Cochlearia.	Cuscuta.	
Cerefolium.	Cedria.	
Chamœdrys.	Cæpe.	
Chamleon.		
Draconitis.		
Fraxinus.	Eruca.	Esula.
Fumus terræ		Euphorbium
Hypericon.		Flammula.
Laurus.	Levisticum.	
Melissophyl-	Mercurialis.	
lon.	Myrrha.	
Mentha.		
Morsus dia-	Nasturtium	Nuxmyristi-
boli.	Nitrum.	ca.
Ocymum		
s. Basilicon.	Polypodium.	Piper.
Ononis.	Porrum.	Pyrethrum.
Rhabarba-	Rosmarinus.	Ranunculus.
rum.		Ros solis.
Rubea tin-	Sal gemmæ.	Sinapi.
ctorum.	Satureia s.	
Sisymbrium	Cunila.	
Verbascum.	Salvia.	Tithymalus.
Urtica.	Tencrion.	Urtica.
		Zinziber.

Plan-

Plantæ ſunt,

Muſcoſæ, lichen ſive hepatica, adianthum, Ruta muraria, lens paluſtris, muſcus terreſtris ſive lycopodion, muſcus capillaris, polytrichum aureum, ros ſolis.

Gramina, equiſetum, polygonum, aſparagus, Lyſimachia, nymphæa, calta paluſtris, hyacinthus, *Violæ*.

Papavera, corniculatum, capitatum, hyoſcyamus, tabacus, ſolanum, alkekengi ſive halicacabum; mandragora, poma amoris; mala inſana, ſtramonia, ſtrichnodendrum.

Intybacea. Intybus, dens leonis, cichoracea, chondrillæ, hieracia, geniſta, Jacobæa, ſonchus.

Atriplices, bonus Henricus, tota bona, pes anſerinus, blitum, ſpinachia, beta, braſſica, bugloſſum, borrago, anchuſa, echium, Mercurialis herba impatiens ſeu noli me tangere, parietaria, lapatha, acetoſa.

Sempervivæ, ſedum, telephium, craſſula, portulaca.

Cucumeres, citrulli, melones, auguriæ, pepones, cucurbitæ.

Nervoſæ: plantago, coronopus, holeſtium, paronychia, pſyllium, cynogloſſum, Iſatis, linaria, burſa paſtoris, polygonum, vincetoxicum.

Arbores *glandiferæ* quercus, robur, cerrus, ſuber, ilex.

Bacciferæ cerasus, myrtus: *nuciferæ, conifera*, pinus, picea, abies, larix, cedrus, cypressus, juglans, juniperus, olea, amygdalus, prunus, laurus, lentiscus.

Quicquid *finditur* habet poros *oblongos*. Quicqud habet poros *oblongos* est *lignosum*. Ideo *ligna*, maxime crescentia in proceritatem rectam finduntur.

Viscosæ, pingues, dulces.

Tubera, fungi, agaricus.

Frumenta, triticum, sub quo hordeum, secale sive siligo, avena, zea. *Legumina:* Oryza, milium, panicum, fagopyrum, faba, phaseolus, pisum, cicer, lens, ervum, lupinus, vicia, sesamum, orabranche.

Fructus; amygdalæ dulces, dactyli, ficus, uvæ passæ exemtis vinaceis, passulæ corinthiacæ, nuclei pinei, persici.

Lapatha

Tomentosæ: gnaphalium, verbascum, æthiopis, leontopodium, blattaria, primula veris sive herba paralysis, auricula ursi, cynoglossum, anchusa.

Caro *citri* est summe frigida ita ut causa *mortis* esse possit si copiosius usurpetur: *aurantia* sunt temperatiora.

Quinque herbæ *emollientes*: malva, althæa, violaria, Mercurialis, parietaria: quibus aliqui addunt brancam ursinam, betam & atriplicem. Ertwolf. Pharm.

Qua-

Quatuor ſemina calida *majora*, aniſi, fœniculi, carvi, cumini. *minora:* endiviæ, ſcariolæ, lactucæ, portulacæ.

Quinque radices aperientes *majores*, apii, fœniculi, aſparagi, petroſelini, ruſci. *minores:* graminis rubiæ, eryngii, capparis, ononidis.

Quatuor flores *cordiales:* borraginis, bugloſſi, roſarum, violarum.

Quatuor aquæ *pleuriticæ:* cardui benedicti, Taraxaconis, cardui, ſcabioſæ.

Tria *olea* ſtomachica: abſinthii, Cydoniorum, maſtichinum.

Quatuor unguenta *calida:* Aregon, martiaton, althææ, Agrippæ. *frigida:* album camphoratum, Roſatum Meſue, populeum, Infrigidans Galeni.

Quinque herbæ *capillares:* adiantum nigrum ſeu capillus Veneris, adiantum album ſeu ruta muraria, polytrichon aureum, trichomanes, aſplenum ſeu ceterach.

Arundines. Calamus aromaticus, arundo ſaccharina, acorus, cyperus, galanga, coſtus, zedoaria.

Junci: ſchœnanthum, ſpartum.

Linariæ.

Bulboſæ & *tuberoſæ*, ad quas pertinent omnes Irides, hyacinthi, narciſſi, leucoia, tulipæ, lilia, crocus, ſcyllæ, cæpe, ſatyria, orchides, palmæ-Chriſti.

Trifolia, lotus, melilotus, medica, cityſus, lagopus, ononis, fragariæ, glycyr-

cyrrhiza, geniſta, hypericum, ſena, ruta, fumaria, rubia, aparine, mollugo, galline, aſperula odorata.

Anemones.

Ranunculi, aconitum lycoctonum, napellus, anthora.

Caryophylla.

Lychnides, aquilegia.

Lilia, hemerocalles, martagon, corona Imperialis, Tulipa. Huc referendæ & aliæ plantæ floribus inſignes, Flos ſolis, Helenium, chryſanthemum ſeu buphthalmus, calendula, nigella, ſeu melanthium, bellides, aſter, tanacetum, pæonia.

Narciſſi, Irides.

Erucæ, chelidonium minus, draco herba, ptarmica, thlaſpi, trio ſeu eryſimum, iberis, lepidium, rapum, napus, radicula, lampſana.

Naſturtia: hortenſe, aquaticum, flos cuculi, anagallis aquatica, ſeu becabunga, cochlearia, barbarea, ſinapi.

Vrticæ, urens, integra adurit, contuſa omnem aduſtionem extrahit, mortua, fœtida ſive galeopſis.

Mentæ, mentaſtrum, ſiſymbrium, calamintha, menta cattaria, balſamita. Salvia, ſcarba, horminum.

Marrubia, praſium album & nigrum.

Meliſſa ſeu *meliſſophyllon* & *molucca*. His cognatæ ſunt ocymus, baſilicon, pulegium, origanum, ſerpillum, ſtœchas Arabica, hyſſopus, thymbra, ſatureia,

lavendula, ſpica, clinopodium, roſmarinus, majorana, betonica, dictamnus, ſcordium.

Tithymalli, Jacoæ, ſtrebe.

Scabioſæ, ſuccisa. His accenſentur cyani, conſolidæ, virga aurea, agrimonia, Eupatorium Avicennæ, veronica, verbena, chamædrys, Teucrium, chamæpytis ſeu Iva arthetica, euphraſia.

Repentes & *ſerpentes*, bryonia, dulcamara, ſcammonium, ſmilax, lupulus, haſminum, peuclymenon, hedera, clematis, Daphneides, flammula, alſine, hedera terreſtris, nummularia, argentina, ſoldanella, nochoacana, epithymum, polygonum mas, anagallis, herniaria.

Lithoſperma, Thlaſpi, heliotropia, antirrhinum.

Spinoſa, carduus lacteus, benedictus, eryngium, cinara.

Vmbelliferæ, fœniculum, aniſum, anethum, carum, cuminum, coriandrum, ammi, meum, daucus, libanotis, ſpondylium ſeu branca urſina, aſclepium, leviſticum, angelica, ſiler montanum ſive pimpinella, Imperatoria ſive aſtrutium, herba Gerhardi, ferula, peucedanum, petroſolinum, ſmyrnium, myrrhis, gingidium, cicuta, filipendula, ulmaria, thapſia, paſtinaca, Valeriana.

Corymbiferæ, artemiſia, millefolium, tanacetum, matricaria, ambroſia, abrotanum, abſinthium, chamæmela, cotyla fœtida, carva.

Fili-

Filicosæ, filix, polypodium, phyllitis seu lingua cervina, asplenum seu scolopendrium, Lunaria, ophioglossum.

Lactariæ, esulæ, lathyris, peplus, tithymali.

Plantæ constant ex partibus *similaribus*, quæ sunt vel *communes*, humor, caro, nervus, vena, membrana seu cutis, vel *propriæ*, os & cartilago, & *dissimilaribus*, radix, caulis, ramus, folia, flores, semen. Usus *ramorum*, distributio humoris ad frondes, flores, fructus. Sine *ramis* sunt juncus. Sine folio cuscuta. Sine *flore* ficus. Sine *fructu* flos iridis, sine *utroque* adiantum. Aliæ *hyemem* illæso virore ferunt. Aliæ *lactescunt*. Quædam sunt ζωόφυτα, quæ tactum habent, ac dilatandi & contrahendi se potestate sunt prædita ut *arbor* pudica.

Quædam vegetabilia *sale* delectantur, ut palma, beta, brassica, ruta, eruca.

Arbores putantur ut succi quantitas fructibus sufficiat neque vel in brachia vel in frondes distrahatur. Crescit felicius *polypodium* super quercum, *cuscuta* lino adnascens: *sanicula* quercuum vicinia gaudet, *vitis* oleæ, *orobancho* leguminum, quæ tamen ipsa strangulat. Contra sese mutuo offendunt *brassica* & *vitis*; *vitis* & *corylus* & *quercus* consita juxta *juglandem* contabescit (negant hoc aliqui.) *hedera* omnibus arboribus, maxime viti infensa.

Luminaria sunt *Sol*, *Luna* & *Stellæ*.

Quippe materia subtilis Lucis in diver-

ſis centris firmamenti collecta particulas æthereas in orbem agens & pellens in recta linea ad certam diſtantiam, diverſos effecit *vortices* & *luminaria*. Eſt enim *vortex* aggregatio quædam particularum cœleſtium ſequentium motum lucis in ejus centro collectæ. Tot ergo *vortices* quot luminaria. *Luminare* eſt ipſamet materia ſubtilis lucis in centro vorticis collecta. Uſus *luminarium*, 1. diſtinguere *tempora*, diem & noctem, menſes, annos. 2. *Significare* futura *naturaliter* & *ordinarie* per Solem & Lunam creſcentem ac decreſcentem: *miraculoſe* & *extraordinarie* per cometas & alia meteora. 3. *influere* in inferiora per radios & lucem.

Sol eſt lumen *diei*. *Luna* eſt lumen *noctis*. *Sol* conſtat ex luce copioſiſſima & denſiſſima. *Luna* ex luce rara & ſubtiliſſima.

Sol longe maximam partem materiæ ſubtilis majoris *Lucis* complectitur, eſtque *cauſa* movens & *efficiens* terreſtrium creaturarum. Solis corpus ex *umbra* & *luce* compoſitum eſt, *aſperum*, *inæquale*, *ebulliens*, ſimillimum æri valentiſſimo igne fuſo: ejus materia eſt corpus totius mundi ſolidiſſimum.

Sole accedente *pori* terræ & corporum aperiuntur & calor internus à centro ad circumferentiam evocatur; unde *dies* & *æſtas*. recedente *pori* conſtringuntur & calor internus repellitur ne poſſit exhalare, unde *nox* & *hyems*. Cum eſt *æſtas* ſupra

pra terram, tunc eſt *hyems* intra terram, & contra cum eſt hyems ſupra terram, æſtas eſt intra terram. Quo major *calor* in aëre eo majus *frigus* intra terram. Hinc patet cur *cellæ* & *putei* in æſtate frigidiſſimi; cur aquæ æſtate glacientur, hyeme caleant. Ratio: quia in centro terræ Sol eſt terreſtris ſive materia Lucis ſubtilis & denſior. Hæc accedente ſole ex centro terræ per poros ejus in aërem tranſit, in quo liberius moveri poteſt ac ſe cum radiis ſolaribus tanquam homogeneis conjungit: unde in ejus locum ex aëre ſuccedit materia ſubtiliſſima quæ eſt frigidiſſima. Et hinc illud frigus per æſtatem in locis ſubterraneis & quod fontes quidam meridie frigent, noctu calent. Quinta *eſſentia* nihil aliud eſt quam *ſcintilla* ſive *radius* Solis omnibus rebus inſitus qui ab elementis velut *compedibus* conſtringitur, ne ad patrem ſuum ſolem redeat. Radii ſolares in aqua, terra & corporibus *inviſcantur* ſicut muſcæ ſolent dum mel deguſtant.

Luna præeſt *aquis* ac *nocti*: temperat viſcoſa humiditate ſua materiam ſubtilem ſive radios ſolis: movet maria. Ea *creſcente* creſcunt ac turgent omnia: *decreſcente* contrahuntur ac ſiccantur. Unde Luna decreſcente nata & cocta diutius ſine putredine durant.

Luna dum ſuper horizontem *maris* ſe elevat, ex obliquo ſpargit in illud radios, ſuaque mole, luce ac calore particulas ma-

ris pellens, movens, rarefaciens; efficit ut paulatim crescat & intumescat. Rursum autem dum paulatim à meridiano digreditur & ad horizontem descendit mole, luce ac calore particulas maris pellens ac premens, *refluxum* efficit. *Fluxus* maris in Europa sive *Plemmyra* fit Luna *plena*: in *India* ad Cambayam contrario modo Luna *nova*. Atque hæc etiam causa cur ostrea & alia in Europa Luna plena turgeant, in India autem non plena sed nova Luna.

Sol est sedes materiæ cœlestis mâjoris & copiosioris: unde ab eo calor & siccitas. *Luna* est sedes materiæ cœlestis minoris & rarioris, unde frigus & humiditas.

Ad hæc duo luminaria, *Solem* & *Lunam*, referuntur *luminaria* reliquarum *stellarum* erraticarum & fixarum omnium.

Nam *stellæ* per universum cœlum sparsæ, aliæ de lumine *solari*, aliæ de *Lunari* participant & influxu suo per inferiora diffundunt, lumenque generale Solis & Lunæ specificant ac ad singulas creaturas inferiores deferunt. *Lux* igitur quæ in *Sole* & *Luna* est *homogenea*, à *stellis* varie distinguitur & *specificatur*.

Lumen *solare* participant ex Planetis *Mars*, *Iupiter*; ex fixis ursa major. Lumen *Lunare* participant ex Planetis *Saturnus*, *Mercurius*, *Venus*. Ex fixis ursa minor. Reliquæ stellæ fixæ sunt *mixti* luminis & vel *Martis*, *Iovis*, *Veneris*, *Saturni*. *Mercurii* lumen participant. Materia subtilis

Lucis

Lucis diſtributa eſt *primario* in *Solem* & *Lunam*: *ſecundario* in reliquas *ſtellas*, maxime planetas.

Stellæ quarum pori ſunt *acuti*, ſunt *frigidæ* & *humidæ*, ut *Saturnus*, *Luna*, unde infrigidant, conſtringunt, congelant, humectant: hinc *glacies*, *nives*, *pluviæ*, *tempeſtates*, quarum pori ſunt *ſphærici*, ſunt *temperatæ* ut *Stannum*, *Venus*, *Mercurius*: unde ſerenant: quarum pori ſunt *pyramidales*, *cubicæ*, ſunt *calidi*, ut *Mars* Sirius, unde adurunt, inflammant.

Ex ſtella *polari* effluunt particulæ magneti & ferro reſpondentes: unde inclinatio & declinatio acus magneticæ verſus polos.

Stellæ ſunt *fixæ*, *errantes*, *crinitæ*: ſtellæ corpora ſunt non perfecte *ſphærica* nec *lucida* ex ſe ſed aſpera, inæqualia, confragoſa, quæ à ſole illuminantur.

Animalia ſunt vel imperfecta vel perfecta. Imperfecta quæ vegetabilibus & animalibus adnaſcuntur, vel *exterius* ut ſcirus, ſive acarus, pediculus, pulex, vel *interius* in vivis aut mortuis, vermes, veſpæ, muſcæ, crabrones, gurgulio, coſtus, teredo, tinea, blatta, cicindulæ, cimex, canthari-des, brucchus, ricinus. His affinia ſunt araneæ, phalangium, tarantula, ſcorpiones & alia: talpæ, mures, marmora, limaces, cochleæ, teſtudines.

Perfecta ſunt muſtelæ, erinacei, feles, canes, lupi, oves, capræ, arietes, lepores, vul-

pes, asini, sues, boves, simiæ, cervi, ursi, elefanti, equi, alces, cameli, pardi, Rhinoceros & Rex omnium Leo.

Animalia alia sunt *solitaria* & *nocturna* melancholica, ut elefas, bufo, camelus, felis, formica, lepus, lupus, mulus, mus, musca, scorpio, serpens, simia, sus, talpa, ursus, canis, capra, castor, cerva, vermes. Omnes uncinatæ bestiæ sunt solitariæ. Inter *aves*, bubo, corvus, grus, noctua, pavo, struthio, vespertilio, upupa, anas, anser, ardea, merguli. *Pisces* omnes, aurata, cancer, carpio, limaces, testudines, lucius, ostrea, cochlea, ranæ. *Insecta*, aranea. Animalia *delitiosa*, lasciva, mitia, blanda, jucunda, mansueta sunt agnus, ovis, canis, capra, cuniculus, hircus, stincus, taurus, vitulus, cervus, equus, elephas. Aves, cygnus, ciconia, gallina, perdix, phasianus, columba, corvus, cygnus, gallus, hirundo, motacilla, passer, pavo, perdix, pica, turtur.

Bellicosa, impetuosa, acria, fortia, rapacia, biliosa sunt Leo, taurus, equus, aries, lupus, pardus, vulpes

Inter *aves* aquila, accipiter, corvus, gallus, falco, milvius, vultur. Inter *insecta* scarabæus. *Mulus* ex natura equi & asini non generat. *Viperarum* venenum in *morsu* ex *iracundia* consistit, per se innoxiæ sunt.

Homines temperamento sunt *sanguineo, bilioso, pituitoso* sive phlegmatico & *melancholico:*

cholico: ſanguinei temperamento *calido* & *humido*, ſufflavi, carnoſi, molles. Hinc luxus, laſcivia, profuſio, vitulatio, joci, petulantia, feſtivitas, hilaritas, riſus.

Bilioſi ſive *cholerici* ſunt calidi. Pulſus & reſpiratio concitatior. Excrementa coloratiora. Piloſi, hirſuti etiam in corde, graciles, ſicci. Unde iracundia, rixæ, convitia, cædes, præcipitantia, audacia, crudelitas, *ἀφροδισιασμὸς*; ſales dentati, amarulenti, ſcommata, riſus ſardonius.

Pituitoſi ſeu *phlegmatici* frigidi & humidi, ſanguine incocto, tenui, ſeroſo. *Pulſus* tardus ac rarus: cito caneſcunt, non facile calveſcunt Unde obeſitas, albedo, mollities, deſidia, torpor, ſomnolentia, neglectus, hebetudo, timiditas, balbuties, ſimplicitas, lentor, tarditas, inſomnia frequentia, ſomnus gravis & profundus, placabiles.

Bilis & *pituita* maxime diverſa ſibique invicem contraria ſunt. Nam *pituita* à defectu, *bilis* ab exceſſu coctionis oritur.

Melancholici, frigidi, ſicci. Unde corporis gracilitas & ariditas, color luridus & gilvus, vultus tetricus & moroſus, pulſus & reſpiratio minima. Cito calveſcunt, invidia, æmulatio, amarulentia, torvitas, Magia, mantia, mania, ſilentium, avaritia, ſuſpiciones, timor, pertinacia, labor, tarditas iræ & ejus tenacitas, odium, indignatio, doli, inſidiæ, mœſtitia, deſperatio, in ebrietate ultra modum hilares & turbulenti;

bulenti; crapula discussa deteſtantur heſternas actiones pudetque erroris & ſtultitiæ. Unde *Melancholia* ſedes diaboli.

Europæi ſeptentrionales ſanguine craſſiore, denſiore, fibroſo, ſpiritibus rigidis: hinc ſcorbutici, feroces, terribiles, intrepidi, mortis contemtores, longævi.

Hiſpani tardi, aſtuti, ſuperbi.

Galli leves, improvidi.

Britanni voraces, feroces, religioſe impii.

Alpini ſtrumoſi, craſſi.

Aſiatici ſanguine tenuiore & molliore; unde molles, effœminati, irritabiles: *Medi*, & *Perſæ* graveolentia oris laborant. *Indi* ſagaces: *Scythæ* boreales vagi, ſylveſtres, Hippophagi. *Sinenſes* inflati, ingenioſi.

Africani ſanguine ſicco, calido: corpore nigro, aduſto, capillo criſpo & lanuginoſo: leves, inconſtantes, mendaces, doloſi, perfidi. *Ægyptii* elephantiaſi laborant.

Americani barbari, anthropophagi.

Animalia ſunt *Bruta* & *Homo*.

Temperamentum animalium & partium corporis dependet à duobus, 1. à *diſpoſitione* & *textura* partium: prout igitur particulæ ex quibus membra ſingula componuntur, variant figura, magnitudine, ſitu, proportione, poroſitate: ita temperamentum partis variat. Hoc temperamentum eſt à generatione & nativitate; 2. à *ſanguinis* circulatione. Prout igitur ſanguis in ſingulis membris conſtitutus eſt, ita tempera
mentum

mentum influens variat. A *liene* infunduntur sanguini *particulæ* rigidæ, acutæ, salinæ sive acidæ, solidæ, constantes nec facile dissipabiles, unde temperamentum quod vocant *melancholicum* naturale. Ab *hepate* infunduntur *particulæ* molles, tenues, flexiles, unde temperamentum *sanguineum*. *Mores* sequuntur *temperamentum* corporis, quia anima, quæ ferme in omnibus suis operationibus quamdiu corpori unita est, eget instrumentis corporeis, libentius iis operationibus se applicat, quibus peragendis instrumenta nacta est aptissima. *Pili* vel crispi vel recti. *Crispi* ob pororum tortuositatem, *recti* ob pororum rectitudinem. *Spiritus* & *humores* in corpore ad varia loca non tractione sed *pulsione* fibrarum, nervorum, venarum & aliorum organorum perveniunt. *Sympathia* membrorum est. *Caput* & *pedes*, *cor* & carpi manus sunt sympathica.

Bruta sunt *pisces*, *aves*, *bestiæ.*

Animalia sunt vel ovipara vel vivipara. *Vivipara* sunt vel *solidipeda* (equus, asinus) vel *bisulca* (bos, ovis) *fissipeda* (canis, felis.) *Insecta* unico liquore per longum sui extento explent promiscue officia venarum, arteriarum, nervorum & viscerum. Hinc *musca* capite abscisso avolat: caput *crabronis* cornuti abscissum post sextiduum adhuc movetur.

Pisces. Sunt frigidi tactu. Excipe *balænas*. *Cor* inest plerisque sed inversum,

à quo in branchias meatus quidam porriguntur, per quos reddunt aquam ore haustam; refrigerant cor & obſcuram quandam reſpirationem perficiunt. *Piſces* qui ſquammas habent, *liene* deſtituuntur. Carent *pulmone* & aſpera *arteria:* ideo nec vocem edunt nec reſpirant perfecte. *Veſicam* urinariam habent. *Oculos* habent ſine palpebris. *Dentes* fere ſerrati ſunt. *Stellæ* marinæ ſtellarum in morem radiant & tam *ignei* ſunt ut omnia in mari ſuo contactu adurant, omnemque cibum ſtatim conficiant. *Natatio* fit cum aqua palmis depreſſa & denſata reſurgit ac corpus elevat. *Cancri* habent *ſtomachum* in capite. Quotannis creſcit illis novus ſtomachus veteri in lapidem mutato. Moriuntur odore ſuum.

Sepia habet *ſanguinem* nigrum.

Squammæ fiunt ab exhalatione particularum teſtæ à particulis ruderoſis; *pili* à particulis ſulphureis.

Aves parum bibunt, *Aquila* omnino non bibit niſi ſanguinem; unde *veſica* urinaria carent & *lotium* in communem alvum cum ſtercore ſicco deponunt. *Duplicem* habent *Ventriculum*, ingluviem & ſtomachum.

Volatus fit cum aër alis condenſatus ad conſiſtentiam ſuam redit & corpus avis vehit.

Beſtiæ ſunt *reptilia*, *pecudes*, *belluæ*.

Feles noctu vident per emiſſionem radiorum ex oculis. *Bufo-*

Bufones axungiam non possunt perferre.

Salamandra, pyrausta , torpedo ignem contactu suo glaciali extinguunt.

Animalia constant ex *sanguine,carne* & *ossib.*

Princeps pars corporis est *sanguis* , cujus partes sunt, 1. *aqua*. 2. *bilis*,unde fluiditas. 3 *pinguedo*. 4. Serum *glutinosum* instar gelatinæ viscidum. 5. *Salsum* , *acidum*, *amarum*. Partes sanguinis *acidæ* elaborantur in liene: *pingues* sive *oleosæ* in hepate ; *pituitosæ* sive *glutinosæ* in cerebro. *Fel* ex sanguine adusto generatur. Sulfureæ enim sanguinis partes amarescunt & convertuntur in bilem ac ad vesiculam biliariam amandantur. Sanguis in *corde* calefit : in *pulmonibus* ventilatur : in *hepate* humectatur suavi & pingui humore, in *liene* fermentatur & particulis acidis volatilibus imprægnatur ; in *cerebro* percolatur & à partibus sulfureis separatur.

Partes corporis in quibus *spiritus* animales abundant,sunt *frigidæ* præ reliquis. Spiritus *animales*, quibus mens indiget ad cogitandum,sunt *acidi* & *frigidiusculi*. Quoties autem multi spiritus sulfurei feruntur ad caput , turbatur mens nec sui compos esse potest.

Pisces habent *sanguinem* contactu *frigidum* præter *balænas*, *phocas* , *vitulos* marinos , *thynnos* , *delphinos* , & quotquot vel *pilo* vestiuntur vel *coriacea* cute existunt, ut sunt inter amphibia *castor* & *lutra* ; quibus fervescit sanguis, cum reliquis gelidus existat.

Caro

Caro eſt viſcus, pinguedo, glandula. *Viſcus* eſt parenchyma, muſculus, pellis. *Parenchyma* eſt capitis, thoracis, pulmonis. *Capitis*, cerebri, oculorum, linguæ. Solus *polypus* caret *capite* & ejus loco habet alveum. *Collo* & *cervice* piſces carent; loco *narium* obtinent bina foramina: loco *aurium* duos meatus.

Cerebrum eſt corpus *calloſum*.

Finis ejus eſt *percolare* ſanguinem & à partibus acidis ac ſubtiliſſimis, quæ ſpiritus animales, à quibus ſenſus & motus, conſtituunt, ſeparare partes *viſcoſas* ac *glutinoſas*, quæ partim in alimentum cerebri convertuntur; reſiduum in mucum & blennam degenerat, quæ per palatum & nares copioſe excernitur

Generanturin cerebro *ſpiritus* animales, qui in tenuiſſimis illis arteriolis circa plexum *choroidem* & glandulam *pinealem* à craſſiore ſanguine ſeparantur. Sanguis ubi ſpiritus animales in nervosdepoſuit, per venas jugulares ad cor redit.

Cerebrum movetur motu *ſyſtoles* & *diaſtoles*. Meninges ejus ſeu membranæ ſunt duæ, *exterior* dura, *interior* tenuis.

Habet 1. *cavitates* ſive *ventriculos* quoſdam recipiendis excrementis deſtinatos; quæ per ſuturas cranii, nares, palatum, oculos, aures, expurgantur. 2. *Infundibulum*. 3. *glandulam* pituitariam. 4. glandulam *pinealem* præcipuum ſenſus & motus inſtrumentum & in qua animam peculia-

riter

riter & immediate residere ac operari aliqui antumant: & inde radios emittere per reliquum corpus, opera spirituum nervorum & sanguinis. Alii *septum* lucidum sive *speculum* in cerebro statuunt esse sedem propriam phantasiæ. 5. *fibrillas*. 6. *plexum* choroiden & *rete* mirabile. *Chylus* ex cibo & potu productus specie vaporum in cerebro sanguinis spirituositatem imminuit, unde somnus.

Sensus, *memoria*, fiunt à motu & spiritu animali. *Motus* abradit particulas subtilissimas à rebus sensibilibus easque defert ad sensorium, ubi à spiritu animali receptæ illæ particulæ deferuntur ad cerebrum, ibique in cellulis ordine deponuntur ac quiescunt donec iterum excitentur; atque hinc memoria & reminiscentia.

Oculi vident. Visus *instrumenta*, sunt 1. tunicæ *retinæ*. 2. tunica *uvea*. 3. humor *crystallinus*, in quo præcipua radiorum refractio fit eorumque versus retinam unio. 4. tunica *cornea*, qua tanquam vitro ad perfectiorem luminis emissionem utitur. 5. *pupilla*. 6. aranea *tunica*. 7. humor *aqueus*. 8. *musculi*. 9. *par* nervorum.

Lingua gustat & vocem edit. Gustus instrumenta sunt 1. *membrana* tenuis & porosa. 2. *caro* spongiosa. 3. *nervi*. Pisces & alia quædam animalia sunt *ἄφωνα*.

Thoracis, pulmonum & cordis.

Pulmonum usus est 1. esse organum respirationis. 2. cor & sanguinem refrigerare.

3. fuli-

3. fuligines expellere. *Vasa* habet venam *arteriosam* & arteriam *venosam*, quæ cum *aspera* arteria per *anastomoses* conjunguntur.

Cor secundum *parenchyma* suum à rarefacto sanguine distenditur, tum *extrorsum* tum *introrsum* & sic attrahit ac expellit sanguinem per dilatationem sive diastolen dextræ ejus auriculæ.

Ejus actio est *pulsus* à rarefactione sanguinis. *Usus*: esse organon *sanguificationis* & *spiritus* vitalis, totumque nutrire ac vivificare corpus. 2. sanguinem ex *vena* cava recipere & iterum per constrictionem sive *systolen* sinistræ auriculæ in *aortam* expellere.

Partes ejus sunt 1. *pericardium*. 2. Vasa, *venæ* & *arteriæ*. 3. duo *ventriculi* per quos sanguinem recipit & expellit *systole* & *diastole*. Imprimis hic occurrunt venæ *lacteæ* thoracicæ, quæ chymum ex ductu chymifero exceptum in venam cavam deferunt ut cum sanguine in dextrum cordis ventriculum ingrediatur ibique in sanguinem transmutetur. 4. *auriculæ*. 5. *pinguedo*.

Abdominis hepar, lien, renes.

Abdominis partes sunt 1. *peritoneum*. Ubi fit *colica* notha & ex ejus dilatatione vel ruptura circa inguina *hydrocele*, *enterocele*, *epiplocele* & *entero-epiplocele*.

Hepar accipit sanguinem triplicem. 1. *recentem* ex corde per arterias sibi proprias. 2. *lienosum* per ramum splenicum.

3. *me-*

3. *mesentericum* per venas mesaraicas, quarum ingens numerus est. *Usus* ejus est: sanguini communicare particulas *humidas*, *tenues*, *molles*, *leves*, *flexiles*, unde temperamentum quod vocant *sanguineum*. Hinc constat ex poris *ramosis* & est *colatorium* particularum ramosarum mollium, flexilium, humidarum ac pinguium: unde vim suam potissimum exerit in infantia & juventute. 2. Secernit & depurat sanguinem à *bile* & *aquosis* humoribus; *bilem* per vesicam biliariam & ductum *cholidochum* ad intestina; *aquam* per vasa *lymphatica* ad chyli receptaculum amandat.

3. *Calore* suo fovet stomachum & concoctionem juvat.

4. Sanguini per *anastomoses* parenchymatis sui dat transitum in venæ cavæ ramulos indeque in cor.

Quibus *hepar* humidius est & abundat particulis ramosis flexilibus, illi facile *pinguescunt:* quibus hepar siccius & abundans particulis rigidis, *macilenti* & graciles sunt.

Lien constat ex poris *ruderosis* & est *colatorium* particularum sanguinis ruderosarum, solidarum, duriorum, brevissimarum, acutarum, volatilium, id est particulas *ramosas* & *pingues* sanguinis per motum abrasionis & comminutionis transmutat in *ruderosas*, *rigidas*, *acutas*, *penetrantes*: unde sanguis fit compactior, frigidior, penetrantior. Quo in *stomachum* per ramos arteriæ *cœliacæ* fluente excitatur

tur fames: in *renes* appetitus venereus, unde vim suam potissimum exerit in ætate virili, & quia sanguinem particulis acidis, rigidis, subtilibus impraegnat & fermentat, hinc temperamentum *melancholicum* naturale producit.

Quicquid in cibo & sanguine crassius & feculentius est & fixius id rapitur, id est *pellitur* non *trahitur* ad lienem, ut ejus calore & fermentandi vi subigatur & subtilietur, id est, ad statum fusionis & volatilitatis perducatur. Lien igitur *frigidus* est & sanguinem refrigerat. Quorum *sanguis* abundat particulis *acidis* volatilibus, quales in liene generantur, illi ad omnia munia habiles & idonei sunt præsertim si etiam multos spiritus volatiles habeant ex pingui sulfureo: ita enim particulæ subtiles minus dissipantur, quæ idem ferè sunt cum spiritibus animalibus. *Lien* igitur *acidus* esse debet, quia debet fermentare particulas crassas & terrestres sanguinis. *Usus* ejus est è sanguine succum *acidum* elaborare eumque per venas *splenicas*, vas *breve* & arterias *cœliacas* hepati & ventriculo communicare tanquam fermentum ad excitandam famem. Ex liene sanguis ad hepar mittitur per ramum *splenicum*; duplex enim *sanguis* transit hepar, *lienosus* & *mesaraicus*. Sanguis in hepate & liene discerpitur in minimas particulas.

Renes. *Usus*. 1. separare *serum* à sanguine. 2. sanguinem ad *seminis* præparationem

præ-

præparare & per arterias *ſpermaticas* ad teſtes ablegare.

Organa ejus ſunt; vaſa *emulgentia*, venæ & arteriæ. 2. *Vreteres*.

Muſculus.

Pellis eſt interna & externa.

Interna vel membranarum vel cartilaginum vel ligamentorum.

Membranarum vel ventriculorum vel canalium.

Ventriculorum, Capitis, Trunci.

Capitis, Cranii, Buccarum, Colli.

Cranii partes *perioſteum*, *pericranium* & duæ *meninges*, dura & tenuis.

Buccarum ſive *rictus* partes *palatum*, *malæ*, *dentes*, *lingua*, *labia*, *gingivæ*, *fauces*, *uvula* & *epiglottis*.

Uſus: cibum *maſticare* & chylificationi præparare, *aërem* trahere, *vocem* edere, *excrementa* cerebri & linguæ evacuare.

Colli in gutture ſive jugulo aſpera *arteria* & *æſophagus*, in cervice *ſpina* dorſi.

Aſpera *arteria* partim membranoſa eſt, partim *cartilaginea*, ubi de ea amplius.

De œſophago & ſpina in canalibus.

Trunci, thoracis & abdominis.

Thoracis pleura, à qua *pericardium*, *mediaſtinum* & *diaphragma*.

Abdominis vel *totius*, ut *peritoneum*, à quo *omentum* & *meſenterium*; vel *partium*, ſtomachus, veſica, pudenda.

Stomachus ſive ventriculus. *Vſus*: cibum & potum recipere, continere & in

chylum

chylum convertere. Ejus partes. 1. *Oesophagus*. 2. arteriæ *splenicæ*. 3. *omentum*. 4. *pancreas*. 5. *pylorus*, qui clauditur & aperitur. 6. vasa *cœliaca*. 7. *Intestina*. 1. duodenum. 2. jejunum. 3. ileon. 4. cœcum. 5. colon. 6. rectum. *Usus* intestinorum; *chylum* à ventriculo per pylorum emissum amplius coquere, eum distribuere & *feces* expellere.

Partes intestinorum sunt, *mesenterium*, *omentum*, vasa *lactea* quæ *chylum* in *chymum* conversum deferunt ad ductum *chymiferum*, unde porro per diaphragma in thoracem & venas *subclavias*; inde in venam *cavam*, demum in *dextrum* cordis *ventriculum*, ubi in sanguinem transmutatur, defertur. Vasa *lymphatica*, quæ aqua sua chylum in lacteis venis fluxilem reddunt.

Vesica. Usus; excipere, asservare & justo tempore reddere *urinam*. Partes sive connexa: *Ureteres* qui è renibus urinam ad vesicam deferunt. *Sphincter* constringens cervicem vesicæ ut non nisi volentibus ad urinæ emissionem se dilatet. *Penis* in viris, *collum* uteri & *clitoris* in feminis. *Urachus* vesicam umbilico annectens. Judicium *urinarum* in his fundamentis consistit. Cum particulæ *amaræ* superant *acidas*, urina *cruda* & *aquosa* sive *pellucida* est absque nubecula & sedimento. Cum particulæ *acidæ* vel *ramosæ* superant *amaras*, urina est *crassa*, *alba*. Cum particulæ *ramosæ* sive

five *sulfureæ* superant *acidas* & *amaras*, urina est *fulva*, *turbida*, *lixivialis*. Nubecula in urina signum est redeuntis in stomachum *fermenti* & recuperatæ digestionis.

Pudenda. In masculis *scrotum*. In fœminis *uterus*. Usus: recipere *semen* virile & muliebre.

Connexa: *Testes*. Usus: *semen* conficere. *parastatæ*, *urethra*.

In viris, *penis*, cujus partes 1. vasa *deferentia*, quæ semen in testibus jam excoctum ad vesiculas seminales deferunt. 2. *Vesiculæ* seminales quæ semen continent. His apposita est *caruncula* quæ impedit ne semen perpetuo ex iis in urethram exstillet. 3. *prostatæ*. 4 *urethra*, cum valvula quæ prohibet ne semen & urina ad vasa spermatica refluat. 5. *nervi* & *musculi*, in quos quamprimum spiritus animalis influit statim penis ad seminis in uterum ejaculationem erigitur.

In fœminis *cervix* uteri sive *cunnus*.

Partes: *clitoris*, sedes amoris, titillatione semen ex pene proliciens. *Tuba* uteri semen in congressu ex testibus per tubulos uteri implantatos ad uterum deferens ut virili *semini* ad conceptionem permisceatur. *Tuberculum Hymen* sive membrana *nervea* in medio *perforata* ut menstruis exitus & semini aditus detur, quæ in coitu perrumpitur; unde profusio sanguinis & virginitatis jactura. Carunculæ *myrtiformes*.

mes. Alæ five *nymphæ*. Peculiariter fœtui competunt in utero *chorion* & *amnion*.

Pifces & *ferpentes* loco membrorum generationi dicatorum habent *meatus* quofdam femini dicatos.

Canales funt œfophagus, Venæ & arteriæ, nervi.

Oefophagus five *gula*, de quo fupra in membranis. Ejus pars funt *inteftina*, tenuia & craffa. *Tenuia* tria, duodenum, jejunum, ileon. *Craffa* tria; cœcum (in quo fermentum ftercoreum, colon, rectum. Motum habent *periftalticum* quo fenfim per partes inteftina contrahuntur fuperne deorfum.

Canalis *Virfungi* in pancreate.

Venæ. Homo habet 365. venas. *Vfus*: vehere ad cor iterumque à partibus nutritis ad cor revehere *fanguinem* & nonnihil præparare.

Connexa: *epar* quod recipit vafa venarum innumeris pene *anaftomofibus* coëuntia. 2. *Valvulæ* in venis fupra cor exiftentibus fuperne deorfum infra cor, fuperne furfum fpectantes: ut facilis fanguini tranfitus fit ex minimis venulis feu extremitate corporis ad majores, non autem contra; indeque ad cor tanquam centrum ipfi pateat tranfitus. Et hæ valvulæ fanguinis fluxum & refluxum vel promovent vel impediunt. 3. *Anaftomofes*, per quas fanguis à vena portæ in cavam & viciffim libere meat ac remeat. Venæ *lacteæ* veras

habent

habent anaſtomoſes, quæ oſculis & initiis ſuis hiant & apertæ ſunt in inteſtinis ad recipiendum inde chylum. 4. *meſaraicæ* in inteſtinis reſpondent multitudini arteriarum ibi diſperſarum ut ſuperfluum ſanguinem ex iſtis per anaſtomoſes ad hepar revehant.

Arteriæ. Earum actio *pulſus* à ſanguine cordis in *aortam* magno impetu & copia expulſo. *Corde* conſtricto dilatantur *arteriæ* : dilatato corde conſtringuntur arteriæ. Qualis motus *cordis* talis & *arteriarum.*

Uſus : ſanguinem ex venis per *cor* ad *aortam*, inde reliquas arterias expulſum ad ſingulares corporis partes deferre ut nutriantur, indeque ſpiritus vitales & in cerebro animales efficere. Nam ſanguis per arterias *Carotides* in plexum cerebri *choroiden* & *rete* mirabile delatus inde in medullæ oblongæ cavitatem ſive ventriculum nobilem defertur.

Reſiduum per arterias *Capillares* & *anaſtomoſes* earum in venas capillares effunditur, ut inde ſurſum & deorſum per majores venas ad cor redeant & circulum conficiant. Hæc *circulatio* promovetur per vaſa *pulmonaria*, venam *arterioſam* & arteriam *venoſam*; & pulmonum parenchyma poroſum.

Connexa: *venæ* ſub quibus reconduntur arteriæ. Neque ulla eſt *arteria* ſine *vena*, licet venæ quædam ſint ſine arteria, nimi-

nimirum infra renes.

Nervi habent *meatus* ſive *canales* in quos ex cerebri poris & meatibus ſpiritus animales per *ſyſtolen* & *diaſtolen* impelluntur & per eos in muſculos ac partes totius corporis deferuntur.

Muſculi acceptis per nervos ſpiritibus contrahuntur, dilatantur, extenduntur, relaxantur, uno contracto alter relaxatur & contra.

Fibra eſt triplex: *recta* quæ attrahit, *obliqua* quæ retinet, *tranſverſa* quæ expellit.

Circulares referuntur vel ad rectas vel ad tranſverſas.

Sexti paris nervorum unus *ramus* in *cor* deſcendit & *phantaſiam* ad cor defert illudque paſſionibus alterat, alter *ramus* deſcendit ad *diaphragma*, unde paſſiones cordis aſcendunt in cerebrum.

Uſus: *Nervi* ſunt dilatatum & propagatum cerebrum & ſunt inſtrumenta *ſenſus*: quia partes quæ deſtituuntur nervis non ſentiunt. Unde membranæ pleræque ut *perioſtiæ* nihil ſunt niſi dilatatus nervus.

Spiritus in cerebro moventur & determinantur ab objecto aliquo externo vel interno. Unde apertè cerebri nervorumque poris ſpiritus in muſculos influunt.

Nervi igitur *ſpiritum* animalem per corpus diſtribuunt. Unde *motus* & *ſenſus*, in *oculis* viſus, in *auribus* auditus, in *naribus* odoratus, in *lingua* guſtus, in *membranis* tactus.

Pin-

Pinguedo.

Glandulæ. In omnibus corporis partibus contentæ, quæ interventu vaſorum *lymphaticorum* à redundantia aquæ ſanguinem liberant.

Uſus: ſegregare *ſpiritus*, abſorbere *humores* ſeroſos.

Præcipuæ ſunt, *pancreas*, *renes*, *teſtes*, & in fœminis *mammæ*. Minores ſunt innumeræ.

Cartilaginum ſunt capitis, trunci, artuum. *Capitis*, palpebrarum, naſi, aurium.

Trunci, pectoris & abdominis.

Pectoris aſpera arteria. Ejus partes 1. *larynx*, cujus cartilago *epiglottis* rimam operis ne cibus & potus in aſperam arteriam incidat, ſed in gulam abeat. 2. *branchia.* 3. *tonſilla.* 4. *guttur.* 5. *uvula* ſeu *gurgulio.* *larynx*, *fiſtula*, & *Cartilago* enſiformis.

Uſus: *aërem* pro cordis ſanguiniſque refrigerio & loquelæ commodo in pulmones attrahere. 2. eum cum *fuliginoſis* halitibus emittere.

Abdominis una tantum quæ *ſpina* vocatur & nonniſi in juventute conſpicua eſt; cum ætate oſſi ilium annaſcitur.

Ligamenta carent ſenſu & connectunt omnia membra. *Pellis* externa eſt *cutis* & *cuticula.* *Cutem* habent omnia ſanguinea: *piſces* ſquammas, *oſtrea* teſtas: *quadrupedia* pilos & ſetas, villos, lanas.

Oſſa in corpore humano ſunt 248. Iis

competit in genere *periosteum* sive membrana *pisces* loco ossium habent *spinas*. Insecta habent *intermedium* quiddam inter nervos, cartilaginem, quod est loco ossium & spinarum.

Suntque capitis, trunci, artuum.

Capitis, cranium, maxillæ.

Cranium. Usus: 1. *cerebrum* munire. 2. *vaporibus* exitum præbere; quo spectant *suturæ*, *periostium* & *pericranium*, & *capilli*.

Particularia *ossa* cranii sunt, 1. *auditus* organa: in *tympano* tria, *malleus*, *incus*, *stapes*, quæ carent membrana perioſteo dicta & medulla. 2. æque mgna sunt in recens natis ac adultis. Usus, *tympani* membranam fulcire: *aërem* externum sono commodum per fenestram *ovalem* in *Cochleam* intromittere; à quo aër *congenintus* varie motus efficit ut nervi auditorii propagines sonorum species suscipiant.

2. Os *Cuneiforme*, cujus pars sella *sphænoides*.

3. Os *Cribriforme* seu *spongiosum*, multis foraminibus instar cribri perforatum. Usus: viam præbere odoribus.

Maxillarum, *superior* ubi nasus, palatum, orbitæ oculorum: *inferior*.

Utriusque *alveolis* inserti sunt *dentes*, in homine 28. vel 32. qui ea parte, qua eminente destituuntur *periosteo*, unde ibi sunt indolentes: cinguntur qua lateat: unde ibi exquisitum sensum habeat.

Usus: cibos *masticare* & ad primam conco-

coctio-

coctionem præparare 2. *vocem* formare. *Aves* pro dentibus habent *rostrum* osseum. *Quadrupedia* ob defectum masticationis *renunciant*, hoc est cibum mansum & in unum stomachi delapsum per guttur revocant iterumque mandunt & ad alterum stomachi sinum motus attritum & ad concoctionem exquisitiorem præparatum transmittunt.

Thoracis sunt spina, costæ, sternum.

Spina à prima cervicis vertebra ad os *coccygis* extenditur. Ejus articuli sunt *vertebræ.* Usus: esse fulcrum & sustentaculum mobile totius corporis ut illud vel flecti deorsum vel erectum stare possit.

Spinæ *partes* sunt; os *sacrum*. Usus: esse *basin* dorsi. Os *Coccygis*. Usus: fulcire *intestinum* rectum ne procidat. 2. *sessioni* inservire; quo faciunt musculi *glutæi*.

Os *innominatum* sive *ileum*. Usus; *excretionem* partium juvare. Unde in fœminis constat *cartilagine* molliori, ut in difficiliore partu aliquantum disjungi, non tamen rumpi aut dislocari queat.

Costæ. Usus: *defendere cor.*

Sternum: Usus, *costas* anterius conjungere, *mediastinum* sustinere.

Artuum sunt manuum & pedum: utrisque competunt digiti & ungues. *Pisces*, excepto *crocodillo*, pro artubus habent pinnas.

Manuum usus est *apprehendere*. Partes: *brachium*, *cubitus* & *manus*, proprie sic dicta. *Elefas* vice manus habet *promuscidem*

ex ore demissam.

Brachii partes sunt *claviculæ*. 2. *scapula*. 3. *radius*. Cubiti usus *flexio* & *reflexio*.

Manus *extremæ* partes; *Carpus*, *palma*, *digiti*, in quorum internodiis sunt *ossa sesamoidea*.

Pedes sive *crura*. Usus *ambulare*, *salire*. Quædam sunt *bipeda*, alia *quadrupeda*, alia *multipeda*, & vel *gradiuntur* vel *saltant* vel *reptant*. Quadrupeda habent pedes *ungulatos*, *solidos* vel *dissectos*.

Partes, *femur* in coxis ad genua. *Coxendici* per acetabulum inseritur, *tibiæ* per patellam connectitur. 2. *Tibia* cujus partes patella & fibula. 3. *Pes* parvus. Partes ejus *tarsus*, *metatarsus* & *digiti*.

Homo est animal *intelligens*, immortale. *Rationis* præcipuum attributum est *intelligere*: intellectus *cogitare*: cogitationis, *sentire*, *imaginari*, *velle*. à cogitatione fluit, *imaginatio*, *sensus*, *voluntas*. Barba facit *virum*, quæ generatur à *testibus*. Unde *Eunuchi* carent barba. *Vterus* facit fœminam.

Speciebus benedixit.

Per *nutritionem* & *generationem* (& peculiariter *homini* per *dominium*. in reliquas creaturas) quæ fiunt à *spiritu* in corpore *pingui* habitante. Omnia enim nutriuntur pingui & salso. Illud *pingue* ex omni *sapore* colligunt species, præterquam ex *acri*.

Capellæ vescuntur *amaris*; pisces *salsis*: pleraque alia *acidis*. Acria *cæpe*, *porrum*, *piper*, *cannamomum*, *gingiber*, nullum animal

mal attingit. Sola igitur *aeria* ſunt aliena ab alimento.

Nutritio fit per extractionem & ſeparationem ſpiritus ex cibis vel nutrimento. Unde reſiduum deſtitutum illa materia mutatur in *excrementum* & expellitur. Ita *mineralia* nutriuntur *ſalibus*: metalla *mineralibus*; & inter metalla *imperfectum* ſemper cedit in alimentum perfectioris: *cuprum* nutritur *ferro*, argentum *plumbo* & cupro, aurum *argento* & reliquis omnibus: Aurum enim nihil aliud eſt quam corpus ex ſubtiliſſimis & puriſſimis reliquorum metallorum particulis, ſine ullo heterogeneo compoſitum. Nam ſicut *puriſſimæ* illæ *particulæ* & ſubtiliſſimæ metallorum conſtituunt *aurum*; ita *impuriores* & craſſiores conſtituunt *reliqua* metalla, quæ propterea ſunt *poroſiora* propter particularum diverſitatem & irregularitatem, unde in *cineritio* illæ particulæ vi ignis à ſe invicem avulſæ, non ſubſiſtunt, ſed abſorbentur.

Vegetabilia ſic nutriuntur. Materia ſubtilis Lucis fluens ex *ſemine* aut *radice* plantæ & regrediens ad eandem cum alibi commode moveri non poſſit, ſecum adducit corpuſcula *pinguia*, quorum meatibus & poris ſeſe inſinuavit & quæ nutritioni apta ſunt. Et ideo in nimia diſtantia alimentum ad radicem non venit. Hinc *exhauſto* illo vegetabili & pingui circa radices *ſucco*, terra *ſterilis* fuit, donec iterum per *fimum* & alia alendis vegetabilibus

idonea, impregnetur & pinguescat.

Galenus materiam illam subtilem nutritionis & generationis instrumentum in 1. Aph. 15. vocat *calorem nativum* vel *innatum*, qui omnium operum naturalium est causa.

Quæ abundant particulis *ramosis* velut *pinguia* & *dulcia* plurimum nutriunt & curiosos generant spiritus; non tamen ita alacres ut illa quæ constant & abundant particulis *acidis.*

Quæ *pinguedine* & *dulcedine* abundant sunt *vesca:* quæ iis carent, non sunt vesca. Appetitum provocant 1. *acida.* 2. *salsa.* 3. *amara.*

Animalia ad nutritionem *appetitu* stimulantur. *Appetitus* est sensus beneficio nervorum cerebro impressus in defectu alimenti à calore hepatis vicinarumque partium perpetuo in ventriculum agente.

Si in stomacho prævalent particulæ *acutangulæ*, temperamentum sive *fermentum* ejus est *acidum* & *frigidum:* si particulæ *oleosæ*, dulce & calidum, si particulæ *subustæ*, siccum & adustum.

Singulæ *species* specificum habent *fermentum.* Unde diversitas appetitus & ciborum. *Falco* non edit panem. *Mures, glires, suos*, non edunt *phaseolos*; potius fame morientur. Capris, coturnicibus, sturnis *veratrum* & *cicuta* salubres; hominibus sunt venena. *Asinus* paleis & carduis, canis *ossibus* nutriuntur.

Cibus dentibus comminutus & per *œsophagum* in ventriculum missus ibidemà fermento dissolvitur in *chylum*, id est, in *cremorem* plane *diaphanum* & hordeacei similem substantiam. *Chylus* in stomacho & venis lacteis *albescit* ab usu *salis* communis. Nam *sal* commune omnia in acidis liquoribus soluta convertit in cremorem lacteum volatilem. *Cibi* igitur in acido stomachi liquore soluti vi salis admixti *albescunt*; unde homo *sale* ad *chylosin* & nutritionem carere non potest, ut patet ex illis qui sale carent, de quibus populis Africæ interioris *Cadamustus*.

Referunt tamen *Lappiones* sale non uti, ut nec pane; & quam primum *sale* ac *pane* uti incipiant, mori. Statim in ipsa *comestione* distribuuntur subtiliores partes cibi tum in ore tum in œsophago: unde *subitanea* illa *refocillatio*. Resolvuntur autem cibi à *liquore* quodam qui ex corde per truncum *aortæ* & arterias *cœliacas* ad stomachum descendit & in transitu per *lienis* sanguinem acuitur ac particulis acidis frigidis impregnatur.

Quam primum aliqua pars ciborum in ventriculo *cocta est*, statim per *pylorum* egreditur in *intestina*. Excrementa manent in intestinis, quia sua crassitie venarum *lactearum* orificia ingredi nequeunt.

Potus requiritur ad cibum humectandum, ne calore stomachi aduratur & torreatur.

Sitis eſt à defectu particularum *acutarum* & dominio particularum *ſalſarum*. Unde quicquid *acidum* ſiti extinguendæ aptiſſimum.

Chylus per *inteſtina* in venas *lacteas* compreſſione propulſus,in *hepate* ex Chylo fit *Chymus* : id eſt liquor pinguis, oleoſus, mollis. unde mores *ſanguinei.*

In *liene* partes illæ molles & pingues aliquomodo exiccantur & ſanguis impręgnatur particulis ſolidis, conſtantibus, firmis : unde mores *melancholici.*

Hinc reliquo permixtus ſanguini & cum eo *circulatus*, calore cordis *rubeſcit*, rareſcit & ſubtilis ac ſpirituoſus evadit. Et quia *ſanguis* particulas leves ac pingues obtinet, hinc calore *cordis* incenduntur & *flammulam* concipiunt, non ſecus ac ſpir. Vitriol. ſubtiliſſimus, quia ſanguinis flamma *ſpiritus* vitalis vocatur & inde cum ſanguine in totum corpus diſtribuitur.

Omne *alimentum* aut eſt *ſulfureum* &hoc fit *excrementum*, aut *Mercuriale*, & hoc fit *nutrimentum*, aut *ſal* reſolutum & hoc fit *ſudor* vel *urina*. Si vis *expulſiva* fortis eſt expelluntur ; ſi debilis remanent & generant morbos.

Sudor eſt duplex : unus *intrinſecus*, qui fit à ſero ſanguinis per. tranſudationem à centro ad circumferentiam : alter *externus* à ſanguine aduſto, ſicco & quaſi calcinato per attractionem frigidi aëris à circumferentia ad centrum non ſolus ac ſalis calci-

nata

nata & combusta, imprimis sal Mercurii aërem copiose attrahunt & in aquam transmutant. Hinc *melancholici* sive sicci & calidi sudore diffluunt & tantam copiam *urinæ* reddunt, quæ longe assumptum potum vel cibum superat & febres sudore critico solvuntur.

Distributio sanguinis fit per *circulationem*: circulatio à motu materiæ subtilis, qui est circularis. *Sanguis* in dextro cordis ventriculo excoquitur: ex eo funditur in *pulmonum* parenchyma; ibi refrigeratur & à fuliginibus per respirationem purgatur. Refrigeratus & depuratus in pulmonibus sanguis ad sinistrum *Cordis* ventriculum venit; inde motu cordis expellitur in *arterias* tum *adscendentes* tùm *descendentes*: ab arteriis defertur ad *venas* minores, à minoribus ad majores; è majoribus in *cavæ* truncum fertur & sic porro cordis *dextro* ventriculo iterum infunditur.

Spiritus animales universo corpori *sensum* & *motum* præstantes, ex isto sanguine qui per *carotides* in cerebrum transit, nascuntur.

Hinc *carotidibus* constrictis animal sensu & motu privatur. Inde per *nervos* distribuuntur in totum corpus & in *stomacho* efficiunt appetitum, in *corde* affectus & passiones, in *oculis* visum, in *auribus* auditum, in *lingua* gustum, in *naribus* odorem.

In cerebro *sanguis* refrigeratur per separationem partium sulfurearum, quæ fit

 sim-

ſimplici *percolatione*: partes *ſulfureæ* ſeparatæ conſtituunt *mucum*.

Ita refrigeratus *ſanguis* efficit *ſenſus* & *mucum* per *muſculos* & *nervos*.

Datur *tranſitus* ab *arteriis* ad *venas*, non contra: unde *circulatio* ſanguinis.

Atque hæc *circulatio*, id eſt continua ſanguinis è corde per arterias propulſio & per venam arteriis contiguas reditus ad cor ſæpius de die repetita, nutrimentum & ſpiritus vitales ad omnes corporis partes defert, eas vegetat, nutrit & auget.

Vis *creſcendi* eſt ex *cerebro* per ſpinalem medullam, quæ eſt continuata cerebri ſubſtantia.

Pulſus ſive motus cordis eſt ejus *tumeſcentia* & *detumeſcentia* à fervente & defervente ſanguine in cavitates ejus illapſo.

Excrementa ſunt contraria fermento ſtomachi & aliarum partium.

Quæ animalia ſanguinem *frigidiorem* habent ſunt ſapientiora, ſaniora & longæviora, ut ex *elefanto* & *aſino* patet. Sanguinis refrigeratio facit omnes actiones animales ſaniores, fervor vero corruptiores. Unde ſanitas conſiſtit in temperata refrigeratione ſanguinis quæ fit per acida.

Generatio fit ex *ſemine* & *ovo*. Terra, aqua & omnes in ea *creaturæ* tum *inanimatæ* tum *animatæ* infinitis ſeminibus imprægnatæ ſunt, quorum multa per longos annos poſſunt vim ſuam ſeminalem conſervare & tandem erumpere.

In craſſo corpore ſeminis, quod fere eſt *acidum*, eſt materia ſubtilis ſive *ſpiritus* ita ad ſpeciem ſuam ejuſque omnes ac ſingulas partes modificatus, ut in convenienti loco per impreſſam ſibi ſpecificam *ideam*, quæ *radicaliter* operatur, ſimile poſſit producere illi à quo ſumtus eſt.

Ex hoc ſemine effluit *ſpiritus* in *uterum* vel *ova* & quaſi *contagione* quadam prolifica inficit ac fœcundat.

Vegetabilia ſic generantur. Semen conjicitur in terram pinguem. In ea eſt *ſal* nitroſus, pinguis & acris; qui ſi ſolvatur aqua pluvia, penetrat ſemina quæ intumeſcunt eouſque donec *cortex* rumpatur: dein magis magiſque intumeſcens, velut pullum ex ovi cortice egreditur, motu etiamſi inſenſibili, locali tamen. Tum ſemen agit in terra *radiculas* quaſi venulas *meſaraicas*: deinde *germen, ramos, frondes* & reliqua producit.

In *plantarum* ſeminibus *gemmula* quædam eſt, qua corrupta perit omnis vis & ſpes generationis. Hanc *formicæ* arrodunt ne granum frumenti pullulet.

In *animalibus* utriuſque ſexus *ſemen* & *coitus* requiritur. *Aves* interdum abſque maris coitu ova concipiunt & pariunt pullos, ſed plerumque intereunt.

Omnia *inſecta* ex proprio ſemine in aëre tanquam minutiſſimæ atomi volitantes & à ventis huc illuc ſparſo, figurantur.

Maribus omnibus, excepto *tauro*, vox

gravior, fœminis acutior.

Omnibus *animantibus* poſt coitum *triſtitia* oboritur, excepto *gallo* gallinaceo.

Ova prolifica etiam uſque ad decimam & quartam diem incubatu non putreſcunt vel corrumpuntur, ſed coƈta eundem ſaporem habent cum recentibus aliis: ſterilia autem putreſcunt.

In *ovo* eſt *macula* ſive cicatricula, in qua partes pulli omnes potentia inſunt & ex qua ordine oriuntur. In hac macula eſt ſpiritus cui creator poteſtatem dedit fœtum efformandi.

Macula iſta ſtatim ab incubatione *dilatatur* & in circulos diſpergitur, in quorum *centro* punƈtum exiguum album ſeſe exerit, in quo mox *punƈtum rubrum ſaliens* cernitur cum venarum ſanguiferarum capillamentis.

Quædam animalia *certo* anni tempore coëunt, alia *omnibus*, ob temperamenti diverſitatem. Quædam *multa* ſimul & *ſæpius* gignunt, ut *ſues, lepores, columbæ*: alia *pauca* & *rarius*. A *ſemine* in viris *barba, pubes*, vox *gravior*, in fœminis *menſtrua*.

In *fœtu* primum corporis ſtamen & fundamentum ſunt *venæ*, non cor, caput vel hepar.

Primo formatur *veſicula* pellucida, in qua punƈtum ſaliens ſive *ſanguis* ſive ſpiritus. Ex illa veſicula fiunt *venæ* & *cor*, tanquam receptacula ſanguinis. *Cordis* uſus eſt ſanguinem perpetua pulſatione venarum

rum arteriarumque rarefacere & per corpus quaquaversum propellere ac circulare.

In fœtu primum conspicitur *punctum saliens*, & est fons caloris ac motus: deinde *oculi*.

Fœtus nutritur 1. per venas *umbilicales* ex humore cui innatat. 2. per venas umbilicales ex utero, cui illæ demum circa 3. vel 4. mensem inseruntur inter ventris, placentæ & humorem album, inde accipiunt ad cor fœtus revehunt, ut inde fiat sanguis ejus proprius. 3. per *os* fœtus.

Labia superiora omnium ultimo concrescunt, in fœtu, præcipue *rima* à naribus ad labium.

Partus duæ species sunt, alia enim sunt *ovipara*, alia *vivipara*.

Speciebus maledixit.

Per *pœnas* temporales & æternas. *Diaboli* relegati in *aërem*, *aquas*, *terram*, maxime *polarem*, ubi *tenebræ* & *frigus*, spectra & præstigiæ; & in loca fœtida. *Lux* a creatore concursu gratioso deserta, retinuit quidem vires operandi & impetum sive motum; sed relicta suæ libertati & nonnisi à concursu creatoris conservante, dirigente, ac vindicante, sive *irato* directa sæpe aberrat in *ideis* suis, *figura*, *magnitudine*, *situ*, *proportione*, sive in *defectu*, unde torpor & languor, sive in *excessu*, unde furor; qualia effecta in *aëre* sunt *meteora*, imprimis *fulmen* & *tonitru*, quod bombices necat, cerevisiam & vinum acescere facit, car-

nes

nes mactatas flaccidas reddit, lac coagulat.

In *aqua* & *terra*, monstra, venena. Pro vapore *fumus*. Prævalere jussæ sunt particulæ *narcoticæ* neque acidæ neque lucidæ, sive quas uno verbo Aristoteles vocavit *ἀτμίδας*. Illis in aliquo ambiente receptis & frigore vel quiete vel vi condensatis sive detentis (si fieri potest, quædam enim non possunt) fit fuligo, nigra, imo nigrum nigrius nigro vel sal *albissimum* instar pennarum columbinarum; unde arsenicum & alia horribilia toxica. Sub *æquatore* aquæ fiunt fœtidæ, gilvescunt, viridiscunt & ultimo rubescunt horrore insigni; demum sponte ad pristinam naturam redeunt; causa est continua *Lunæ* propinquitas à qua putrent omnia.

Terra sterilis non omnis fert omnia & seminum debilior multum ac indies descissens in pejus virtus. Ipse imprimis *homo* præ reliquis creaturis corruptus continua inter *carnem* & *spiritum* durante pugna.

Pœnæ sunt æternæ & temporales. *Temporales* respectu *hominis* externæ & internæ. *Externæ* Oeconomicæ & Politicæ. *Oeconomicæ*, nuditas, fames, *ἀνοιχία*. *Politicæ*, Tyrannis, Oligarchia, Ochlocratia.

Fames consistit vel in *defectu* ciborum utilium vel in *usu* ciborum malorum, imprimis *carnis humanæ* & potus *sanguinis* humani. Unde Plato: *homines semel gustata carne humana fiunt lupi.* Lucanus:

-- *nullus*

—— *nullus semel ore receptus*
Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.

Feritas animalium est ab injuriis hominum; ipsa *brutorum* inter se *inimicitia* ab *exhalationibus* contrariis. *Animalia* mutuo se & homines dilacerare cœperunt& devorare. Inter bruta *pisces*;balænæ,crocodilus, lucius. Inter *aves* aquila, accipiter, falco, corvus, vultur, milvius, bubo, noctua. *Gallinæ* araneas, *anates* bufones, *ciconiæ* serpentes, ranas. Inter *bestias* Leo, tigris, ursus, lupus, canes. *Homines* anthropophagi, chelonophagi, ichtyophagi, ophiophagi, acridophagi, leontophagi: urgente *fame* etiam abominanda vorant, nec à mortuis *acadaveribus* abstinent.

Internæ sunt *morbus*, *senectus* & *mors*. Symptoma universale omnium morborum est *dolor*, qui oritur cum corpus aliud sese insinuat poris corporum & motum *lucis* ordinarium perturbat: unde hæc duo inter se pugnantia impetum in nervos faciunt & dolorem excitant. *Intensissimus* dolor est ab *igne*. 2. gradus doloris est ab *alcalibus* corrodentibus quæ igni proxima. 3. ab *austeris* ponticis, acidis, quæ contracturæ finitima. 4. à *salsis*. 5. ab *acribus*. 6. ab aliquibus *amaris*. Laborant morbis *peculiaribus* omnia animalia, inter quæ excellunt animalia hominibus familiaria & inservientia, *equi*, *canes*, *armenta*, *falcones*.

Morbi peculiares *equorum*: *coriginosi* & *sarci-*

farciminosi fiunt: *malleo, pulmunculo, exungulatione* cæterisque similibus laborant.

Vegetabilium morbi varii. *Hedera* arbores falsugine vel amplexu strangulat.

Morbus *animi* vel *corporis*. Animi *universalis* peccatum, *originale, actuale*, cujus summus gradus Peccatum in Spir.S. *particularis*, Fidei *Atheismus*, *Diabolismus*, (sub quo Magia, Idololatria, Dæmonomania) *hæresis*. Spei *desperatio* (unde *αὐτοχειρία*) *tristitia, terror*. Charitatis tum *concupiscentiæ* avaritia, ambitio, libido (zelotypia, amor insanus, quorum corpora dissecta intus tota combusta apparuerunt) tum *ira*, invidia, Tyrannis, rebellio.

Corporis est partium *solidarum* vel *fluidarum*. Morbus fit à *discordia* & *separatione* atomorum, sanitas à *concordia* & *quiete*. Quando Lux in suo ordinario & determinato motu perturbatur & impeditur; *torporem* vel *furorem* concipit & morbosas ideas pro varietate morborum varias induit iisque particulas quasdam sanguinis inficit ac corrumpit, quæ particulæ ita dispositæ & corruptæ sunt *morbus*, cujus signum *pulsus* imminutus vel auctus.

Causæ Lucem in suo motu perturbantes sunt vel *internæ*, ab ipsa Luce post lapsum depravata, ita ut sæpe *insensibiliter*, nulla nobis cognita causa, præcedente, corruptas ideas, ordinem, magnitudinem, situm, poros, figuras, proportiones producat, unde morbi *occulti* & inexplicabiles

sive

sive *continui*, sive *periodici*; vel *externæ*, cum particulæ in quibus Lux movetur sunt vitiosæ, acidæ, amaræ, salsæ, viscidæ, unde ordinario ejus motu impedito & depravato oritur morbus, *cruditas*, *adustio*; à quibus generantur excrementa vitiosa. Nam cum Lux *concentratur* & aliquomodo *figitur*, corpus *frigescit*, *pallet*, *horret*, *livet*; cum *rarescit* & volatilior fit, corpus *incenditur*, *rubet*, *ebullit*.

Plerique morbi à *parentibus* procedunt qui varie peccant tempore, affectibus, vitiis animi & corporis maxime, per *semen* corruptum, unde morbi *connati*, calculus, podagra, variolæ, morbilli, partium inæquale robur: quarta Luna nati infelices, vel aliunde post nativitatem adveniunt; maxime prava educatione, unde morbi *acquisiti* & illi *recepti*, *suscepti*, *concepti*.

Recepti sunt

Injecti ab *Angelis* vel *bonis* vel *malis*, per *sagas*, quarum maledicta anima concipit *passiones* & *ideas* morbificas ac illas in objectum cui nocere volunt, per *visum* vel *tactum*, *radialiter*, *emanative* & *ejaculative* imprimunt, sive *immaterialiter* ut in incantatione, venificio, ligatione; sive *materialiter* per sordes diris venenis contaminatas, sepultas, suspensas, propinatas, quales articulæ, ligna, pili, lintea.

Abstracti sive *inspiratione* à venenato fracido, unde *pestis*, sive à *mineralibus* & *metallis*, unde morbi minerales & metalliæ;

liæ; *fumo* carbonum & *calcis* in locis clausis unde plexus *choroides* & nervorum principia à particulis aufteris & acerbis conftringuntur & fpiritus fuffocantur *hauftu*, unde venenum, pharmacum, philtrum, ebrietas.

Sufcepti ab *irruentibus*, qualia funt *vulnera*, punctim, cæfim, jaculando, verberando, jaciendo, lacerando, mordendo, contundendo, congelando, amburendo vel ftringendo facta; *offifragium*, vinculatio, conftipatio & quicquid denique fub *Chirurgiam* cadit. Ex vulnere *fpinæ*, dorfi oritur brachii & cruris *paralyfis*, fenfum & motum tollens: quia fpiritus animales ob læfam fpinam in brachium & crus influere non poffunt.

Concepti vel à *paffionibus*; unde pervigilia, inappetentia, atrophia, macies, tum *terroris*, unde peftis, fynceps, epilepfia, profluvium menftruorum, alvi, feminis. Etiam *lætitia* fi fit nimia mortem inducere poteft. *Mœroris* vel *folius* unde nervis circa ftomachum & præcordia, præfertim orificia cordis conftrictis, melancholia *hypochondriaca*, icterus, afthma, fuffocatio uteri; vel *juncti* cum *defperatione*.

Unde paralyfis, contractura.

Iræ vel *præmeditatæ*, unde fingultus, tremor cordis caducus, menftruorum fuppreffio, abortus, præfocatio uteri; vel *fubitæ* & *diffimulatæ*, unde uteri decubitus vagantia ad latera, afthma, apnœa, febris

in

in icterum aut hydropem desinens.

In singulis *affectibus* peculiaris *sanguis* ad cor mittitur, unde varietas *pulsus*, *coloris*, *faciei*.

In *ira* affluit sanguis biliosus & particulis pinguibus destitutus; in *gaudio* sanguis floridus, subtilis & bene coctus; in *tristitia* aquosus & frigidior.

Vel à *rebus* non naturalibus, *aëre*, *motu*, *quiete*, *assumtis*, *retentis*, *excrementis* tum *transmutatis* tum *transmissis*.

Ab his omnibus causis *pori* corporum varie obstruuntur vel relaxantur & figura, situs, proportio particularum destruitur; unde Lux in suo ordinario motu impedita & perturbata repugnat, ebullit, effervescit, exhalat & in humores ac vapores abit, qui sunt *acidi*, *acerbi*, *austeri* si morbus frigidus *salsi*, *amari*, *acres*, si morbus calidus.

Principalis *sedes* horum humorum & vaporum est *stomachus* & *uterus*, unde sparguntur in totum corpus, per *orificium* in superiores, imprimis *cor* & *cerebrum*, per *pylorum* in inferiores, imprimis *lienem* & *hepar*.

Prout igitur motus Lucis magis minusve ab his causis lædentibus impeditur, ita morbus *gravior*, *levior* vel etiam *letalis* & contra.

Lux *suffocata* exhalat instar *vaporis* & tum in corpore oriuntur *maculæ* purpureæ, subrubræ totam carnis substantiam per-

permeantes. Ex corporibus *morbosis* effluunt particulæ *morbosæ* instar *odorum*, quæ receptæ à poris *proportionatis* aliorum corporum, morbum communicant: à *disproportionatis* repelluntur & excluduntur.

Quando *Lux* in motu suo impeditur & perturbatur ac loco suo naturali pellitur, particulas quasdam *acidas*, *pingues*, *salsas*, singulas vel conjunctas secum abripit, unde *humores* & *vapores* varii *pituitosi*, *biliosi*, *melancholici* oriuntur, qui in diversas corporis partes irruentes ac impacti, varios ibi *morbos* producunt *pituitosos*, *biliosos*, *melancholicos*, tamdiu durantes donec illæ particulæ vel ex corpore ejiciantur vel expulsis illis particulis peregrinis, à quibus motus lucis perturbatus erat locum suum & motum naturalem recuperent.

Pulsus arteriarum & cordis indicat quam bene vel male Lux in sanguine moveatur.

Vrina. Omnis *turbida* urina latens *acidum* continet.

Cum in urina superant particulæ *acidæ*, nubeculam habet & est signum reducis *fermenti* in stomachum.

Cum particulæ *austeræ*, cruda est & alba, crassa absque nubecula *acerbæ* mortem indicant.

Cum particulæ *ramosæ* sive *oleosæ* fulva est & est signum perfectæ digestionis. Hinc prodest Rhabarbarum.

Cum particulæ *ruderosæ* sive *salsæ*, *amaræ*,

ræ, acres, alba, clara, pellucida, tenuis eſt.

Effecta morbi ſunt *ſymptomata*, dolor, calor, frigus, vigilia, debilitas, excrementa; quæ producuntur dum natura morbum excutere conatur.

Morbi partium *ſolidarum* ſunt vel *univerſales* omnibus partibus competentes, magnitudinis, numeri, conformationis: ſuntque vel carnis vel oſſium. *Carnis*, tabes, maraſmus, hectica, cancer, gangræna *oſſium*, ſphacelus, gibbus ſpinalis medullæ. Unde impedito influxu Lucis gibboſi creſcere deſinunt, vel *particulares*, & hi vel *communes* utrique ſexui vel *ſpeciales* alterutri.

Communes utrique ſexui ſunt cutis, viſcerum, ventriculorum. Cum *Lux* permeans cutem, viſcera, ventriculos in ſuo motu ordinario à quacunque demum cauſa perturbatur, efferveſcit & morbos in partibus ſolidis producit. Ex. gr. cum Lux *ſtomachi* & *inteſtinorum* perturbatur, oriuntur morbi ſtomachi & inteſtinales.

Si prævalent particulæ *acidæ*, *auſteræ*, *acerbæ*, oritur *appetitus* depravatus vel nimius vel minimus vel nullus; & ſi *pylorus* inordinate conſtringatur vel laxetur, ructus acidi, flatus, peditus.

Si prævalent particulæ *ramoſæ*, *viſcidæ*, *pingues*, *dulces*, cibus putret, potus bileſcit: hinc *pyrolus* inordinate dilatatus & hians, unde Cholera, Lienteria, Cœliaca, Diarrhœa,

rhœa, cum cremor in excrementa mutatur. Colica, ex mucagine pontica adhærente inteſtinis umbrici.

Si prævalent particulæ *ruderoſæ, ſalſæ, amaræ, acres,* fiunt orexes, tormina & accedente *veneno opiato* epilepſia; *mucilagine* putrida, *amara* vertigo, quæ fortius inſurgens fit apoplexia.

Cutis, puſtulæ, deformitas, tubercula.

Puſtulæ, pruritus, ſcabies, pſora, lepra, impetigo, pſydracia, ambuſta.

Deformitas, maculæ, fœdi colores, caſus pilorum, comæ barbæ, ciliorum, ſuperciliorum, *area*, ophiaſis, alopecia, phtiriaſis, plica Polonica.

Tubercula, verrucæ, calli, condylomata, gibbus.

Viſcerum Capitis, Thoracis, abdominis.

Capitis, cerebri, oculorum, linguæ.

Thoracis, pulmonum, cordis.

Abdominis hepatis, lienis, renum, quo pertinet hydrops.

Ventriculorum majorum, mediorum, minimorum.

Majorum tum *Capitis*, buccarum, colli, aſperæ arteriæ, œſophagi, tum *Trunci*; ſtomachi, veſicæ, *iſchuria, dyſuria, ſtranguria, urinæ* incontinentia, *Diatetes, mictus* cruentus, pudendorum, ſcroti, uteri, hernia, hæmorrhoides, ſterilitas, lues gallica.

Minorum, cerebri, aurium, narium.

Minimorum; arteriarum, venarum, nervorum.

Specia-

Speciales vel viriles vel muliebres.

Viriles vel *Barbæ* vel *pudendorum.* Satyriaſis, priapiſmus, gonorrhæa.

Muliebres vel mammarum vel uteri.

Mammarum, Cancer, lactis defectus, redundantia, coagulatio.

Vteri vel ſolius vel fœtus. *Solius*; ſuffocatio, menſtruorum depravatio, ſuppreſſio, nimius fluxus, ſterilitas. Sola *mulier* & *ſimia* & *raja* patiuntur menſtrua, quæ habent venenum noxium, quod tamen *porcos* in lepram vergentes & *equos* ex potu intempeſtivo laborantes propinatum exigua quantitate ſtatim ſanat.

Fœminis fluunt *menſtrua* ab anno ætatis 14. ad 21. Luna *nova* ſive corniculata, à 21. ad 28. aut 31. Luna *dimidia* ſive in *plenilunio,* ad 35. in *plenilunio,* Luna plena. *Vetulis* Luna *quarta* ſive decreſcente.

Fœtus; difficilis partus, deformatio, maculæ, monſtra, molæ. Si *inferior* pars *brutalis*, etiam *anima* talis ſecundum Helmont. Eſt defectus animæ *intellectualis* non creatæ à Deo. Prægnantes ſenſibus & affectibus afficiuntur. Senſibus, viſu, auditu, tactu. Aliqui *infantes* abhorrent ab aliqua re vel *cibo*, imprimis à *caſeo.* De Caſeo cauſa eſt peculiaris, quod matres vel nutrices dum lactant liberos gravidæ ſunt; unde *lac* earum *concreſcit* & caſei ſpeciem induit. Hinc liberorum, qui tale lac, quod admodum averſantur, guſtarunt, averſio à caſeo.

Morbi

Morbi partium *fluidarum* ſunt ſanguinis, ſeri, fecum. Aliqui diſtinguunt *morbos* in ſimplices & compoſitos, *ſimplices* & *primitivos*, in quatuor ſpecies, in *phtiſin* ex atomis acutis; *apoplexiam* ex atomis cubicis *hydropem* ex rotundis ſolidis; *colicam* ex oblongis cavis.

Compoſitos componunt ex diverſis atomis.

Sanguinis ſunt peſtis, febris.

Peſtis fit à *Luce* maligna & corroſiva. *Lux* fit *maligna* & *corroſiva* ob defectum particularum *viſcoſarum* & *reſinoſarum* in aëre. Hinc *ignes* ſulfurei, *pix* & omnia *reſinoſa* corrigunt illam ſiccitatem aëris & retundunt ac figunt radios ſolis ſive Lucem in aëre.

Peſtis eſt duplex; *divina* ab Angelo percutiente: *naturalis* à ſpiritu venenoſo fracido perturbante Lucem. *Producta* ſunt *anthrax*, *eſchara*, *bubo*, plerumque circa glandulas.

Venenum eſt depravatus Lucis motus *minimus* vel *nimius*. Unde alia ſunt *frigida*, alia *calida*.

Motus *minimus* fit cum particulæ aëris adeo arctos & irregulares poros habent ut *Lux* vel *plane* excludatur vel non niſi *minima* quantitate recipiatur ac tardiſſime moveatur. Unde *venena* frigida eaque habentia poros *acutos* ut *Aqua fortis* & omnia venena acida: poros *obtuſangulos*, acerba, *gypſum* uſtum, *ſcobs* ilicis: poros *re-*

ctangu-

ctangulos, auſtera, narcotica; *cicuta*, *opium*, *ſolanum*.

Motus *nimius*, cum particulæ ruderoſæ poros adeo amplos habent ut materia ſubtilis nimia quantitate recipiatur ac vehementiſſime moveatur.

Unde venena *calida* eaque habentia poros.

Trapeziodes, *Antimonium*, *ceruſſa*, *helleborus* alba.

Rhomboides, amara, *ſquilla* cruda.

Pyramidales, acria; *cantharides*, *euphorbium*, herba *ſardoa*.

Venenorum *effecta* ſunt *ſtupor*, *anodynia*, *delirium*, *furor*, *rabies*, *titillatio*, *rotatio*, *congelatio*, *putredo*, *fœtor*: unde tales effectus *venena* appellantur.

Et ab ejuſmodi venenis fiunt *lepra*, à veneno anodyno glaciali. Lues *Venerea* à veneno mordaci, purulento & putridi. *Variolæ* à veneno innominabili, ſolis hominibus peculiari. *Apoplexia* à veneno ſtupefaciente. *Epilepſia* à veneno inſenſitivo. *Syncope* à veneno anodyno in orificio ſtomachi, obſtupefaciente, diſperſivo ſpirituum. *Deliria* à veneno rationem turbante, eoque vel *jocoſo* unde fatuitas vel *furioſo* unde phrenitis vel unde mania: vel *rabido*, quod eſt omnium venenorum ſummum, unde *rabies* peculiaris canibus & per illos hominibus ac aliis animantibus communicabilis: unde *hyd phobia* & averſatio omnium pellucidorum. Solus

F canis

canis *venaticus* primogenitus vincit & aggreditur canem rabidum. Hæc *venena* in corpus *aſſumta* vel *radialiter* immiſſa perturbant motum Lucis eamque tota idea ſua venenoſa inficiunt, unde eadem effecta venenata in his exoriuntur.

Venena alia ſunt *univerſalia* ut *aconitum*: alia *ſpecifica* ut *caninum*, nux *vomica*: *ſuillum*, Tarantulæ, pes *anſerinus*. Crocus & myrrha largius ſumta venena fiunt.

Morbi *intemperiei* ſunt cum membra corporis laborant *imtemperie*, vel *naturali* & inhærente, ut à prava compoſitione & textura partium, vel *influente* à vitio ſanguinis.

Intemperies *cordis* dependet à *ſanguine* quatenus is vel *nimium* dilatabilis ac fermentabilis eſt, unde temperamentum *calidum*: vel *minimum*: unde *frigidum*.

Intemperies *cerebri* eſt à ſanguine quatenus copioſa humiditate pituitoſa generatur, unde *ſpiritus* animales impuri & languidi generantur & cerebrum humidum ac frigidum.

Intemperies *hepatis* à ſanguine *bilioſo* aquoſo, craſſo, crudo.

Intemperies *lienis* à ſanguine *terreſtri*, qualis eſt *acidus*, *ſalſus*, dependens ab ejuſmodi partium qualitate, unde fit rigor, craſſities, ineptitudo ad motum propter pororum & particularum irregularitatem ruderoſam, quæ hærent in *parenchymate*, niſi à valido *fermento* atterantur, alterentur & attenuentur. In-

Intemperies *ſtomachi* à ſanguine infecto fermentis alienis omnibus præmiſſis.

Intemperies *pulmonum* a tota maſſa *ſanguinis*, quæ cum *chylo* ſibi permiſto recens ex dextro cordis ventriculo venit: qui *ſanguis* pro ratione conſtitutionis ſuæ quam in corde accepit varie inflat, alterat vel humore quodam imbuit pulmones quos tranſit.

Imtemperies *teſticulorum* à ſanguine ſpirituoſo & fermenti pleno vel deſtituto.

Sanguinis eſt *Febris, Calculus, Scorbutus.*

Febris eſt depravatio ſanitatis orta ex perturbatione *Lucis* in *ſanguine.* Unde *ſanguis* vel *lenteſcit* vel *putreſcit* vel *igneſcit.*

Sanguis conſtat ex triplicibus particulis; *acidis, oleoſis* & *ſalinis*, & hæc iterum dividuntur in ſubtiliſſimas, ſive *minimas*, in ſubtiliores ſive *minores*, & in ſubtiles ſive *parvas*. Quapropter Lux *ſubtilis* ſive illud agens & movens ſe accommodat poris ſanguinis & prout hic vel illi diſpoſiti ſunt ita oritur *febris*. Quæ *Ephemera, ſynochus* & *putrida*; ſuntque vel *continuæ* vel *intermittentes.*

Cauſa *continens* febris eſt *ſanguis* triplici modo conſideratus. *Primo* quatenus eſt juſto tenuior & nimio ſpiritu perfuſus, unde *ephemera* febris. *Secundo* quatenus eſt juſto compactior & quaſi coagulatus; unde *ſynochus, cauſus*, oritur. *Tertio* quatenus & peregrinæ cuidam materiæ permixtus, unde *periodicæ*, continuæ, intermittentes,

& symptomaticæ. *Hectica* ab his omnibus oriri possunt.

Quando sanguinis partes tenues perturbantur, oritur *ephemera* sive *synochus*.

Quando sanguinis partes crassiores perturbantur, oriuntur febres *putridæ*.

Febres *putridæ* sunt vel *continuæ*, in thorace; vel *intermittentes* in abdomine vel viscerum aliquo.

Intermittentium aliquæ vel nonnullæ videntur esse *continuæ* & non sunt. Nam

1. Cum intermittentes copulantur inter se, fit *tertiana* duplex.

2. Cum intermittentium paroxysmi tam longi sunt ut antequam desinat prior, incipiat posterior.

3. Cum intermittentes junguntur cum continuis : ut fit in *semitertiana*.

Interdum oriuntur febres *pestilentiales* & *malignæ* etiam ab obstructione sanguinis, quatenus ille non satis perspirabilis est: id quod etiam *plethoricis* interdum contingit.

Ab *alcali* sitis est inextinguibilis, nisi per acida & puram *aquam*, crudam, incoctam, *copiosissime* ingestam, etiamsi vomitu, flamma prævalente, regurgitet; donec aqua in stomacho remoretur; mox sequitur cessatio *sitis*, *caloris*, *sopor*, *sudor*, *sanitas*, intra 12. horas, quod ipse multoties in acutissimis febribus Hardervici & Leidæ probavi. Qui vero ab aquæ potu copioso abstinebant, & sudoriferis, venæsectionibus,

bus, purgationibus, præsertim in æstate utebantur, intra octiduum extincti sunt: quod inter alios plurimos meo collegæ I. A. Schmitzio A. 1653. & Juveni ornatissimo discipulo meo Samueli à Lederkerck in urbe Gravia A. 1655. contigit.

Putrida est vel *pituitosa* sive *quotidiana*, vel *tertiana*, vel *melancholica* sive *quartana*.

Quando *sanguis* nimio calore aduritur, vel quando ex sanguine *exhalant* partes *spirituosæ* & *volatiles*; tunc dicitur sanguis *putrescere*. Particulæ sanguinis acidæ volatiles mutantur in adustas sive *nigram* sive *atram* bilem: unde mutato naturali temperamento oritur *intemperies* acerba, austera, vel amara acris.

Quod si *duo* humores simul putrescant, fiunt febres *spuriæ* sive *nothæ*, tertiana notha & sic in cæteris prædominante semper appellatione illa cujus humoris major copia est.

Febres *castrenses* absque *calore* & *siti* sunt. *Quartana* est in splene: *hectica* in pulmone.

Febris *artificialis* fit si coquantur in oleo *cornuti scarabæi* & eo illinatur pulsus.

Symptomata consequentia & *effecta* febrium sunt, universalia & particularia: *universalia* totius corporis rigor & inflammatio.

Rigor fit dum *Lux* irritata excutere conatur illud *acidum, amarum, acerbum*, in

ſanguine & ſtomacho. Et in illa *lucta* duorum contrariorum *contrahuntur* muſculi & fit *rigor* ac oritur *ebullitio*, primo quidem *frigida*; inde incendente ſe ſanguine, *calida*.

Quare, dato rigore, qui oritur à materia extranea acerba, auſtera, ſalſa, amara, acri, perturbante Lucem ſive ſpiritum denſiorem, internum, ordinarium vel oleoſum, *calor* ſubſequitur *innaturalis* & is paulatim, cauſa durante, plus minuſve intenditur; hinc debilitas, laſſitudo: tum iterum declinat cum nimirum ſpiritus ſanguinis defatigati vel expulſi à fortiori ſuum contrarium, vel hoſtem, oppugnare deſinunt, qui hoſtis & ipſe debilitatus conquieſcit; unde febres *intermittentes*: donec reſumtis viribus denuo ſeſe mutuo aggrediantur & impetum faciant. Unde novus *paroxyſmus*, iterum ebullitio, rigor, calor & febris redit in orbem.

Prout igitur particulæ illæ alienæ lucem ſive ſpiritum ſanguinis naturalem ejuſque motum perturbantes ſunt validæ vel debiles: ita *Lux* ſive ſpiritus in iis oppugnandis citius vel tardius debilitatur: unde paroxyſmorum *diverſa* tempora ac intervalla.

Si ſint particulæ *inſipidæ*, materia ſubtilis ſingulis diebus eas oppugnat: unde febres *pituitoſæ, quotidianæ.*

Si ſint particulæ *ſulfureæ* ſingulis *triduis*, unde febres *bilioſæ, tertianæ.*

Si

Si ſint particulæ ruderoſæ ſingulis *quatriduis*, unde febres *melancholicæ quartanæ*. Et quia *ſtomachus* infectus eſt fermentis alienis, acido, auſtero, acerbo, ſalſo, amaro, acri: hinc *nauſea, inappetentia, averſio ciborum*, imprimis *carnium*, piſcium, ovorum; *vomitus* dum pylorus nimium conſtringitur ab acerbo, *ſitis* à fermento ſalſo, amaro, acri, quod inſtar *alcali* corrodit; unde *acidis* volatilibus extinguitur ut ſpiritu *ſulphuris*; qui tamen in ſe ſicciſſimus & corroſivus, *ſaliva* ſalſa, *lingua* arida, amara. *Caſtrenſes* febres citra ſitim & magnum calorem accidunt.

Criſis eſt *extraordinaria* humorum ſanguinis *fermentatio* eorumque ſubitanea *ſecretio* vel *expulſio*. Hinc *criſis* non cadit niſi in morbos, qui in maſſa ſanguinis conſiſtunt, ut *febres* omnes.

Febris *hectica* ab omnibus febrium cauſis ſimul conjunctis exoriri poteſt.

Cum enim ſanguinis particulæ *ruderoſæ* vehementiori calore exagitatæ penetrant in ipſam carnis ſubſtantiam & particulas *ramoſas*, glutinoſas, *pingues* ac *ſulfureas* depaſcuntur, *continuam* febrim excitant ac omnia, *ſpiritus*, *ſanguinem*, *carnes*, *oſſa*, adurunt ac lente depaſcuntur, quia propter tot heterogenearum partium reſiſtentiam longo opus eſt tempore antequam comburi & calcinari poſſint. *Flexilibus* autem paulatim exhalantibus, quod hæ omnium maxime debiles & ſeparabiles ſunt, *ramoſæ*

 indu-

indurescunt, exiccantur, arctius junguntur & tandem concremantur instar calcis vivæ. Unde vix ulla medicamenta contra hecticam reperiri possunt.

Maledictionem sustulit.

Universaliter per *I.Christum*, Filium Dei qui factus homo, Mediator & Salvator noster, nos perfecta obedientia sua, sanguine, morte, resurrectione, ascensione, à maledictione liberavit & Deo reconciliavit. Hic vera *fide* apprehendendus, piis *precibus* invocandus, sancta *vita* imitandus: unde *illuminatio* intellectus, *directio* voluntatis, *correctio* affectuum, regeneratio, justificatio, sanctificatio & glorificatio.

Particulariter per Theologiam, Cosmologiam, Historiam. *Theologia*, ad quam pertinet *Prophetia*, lectio & meditatio S. Scripturæ, auditus verbi divini & usus Sacramentorum.

Cosmologia quæ complectitur *Philosophiam, Mechanicam & Chimiam.*

Philosophia tum *intellectualis*, tum *sensualis*. Intellectualis est Metaphysica & Mathematica.

Mathematica quantitatis continuæ, *Geometria*: discretæ, *Arithmetica* & *Chronologia*. Huc pertinet *Gnomonica* & *Statica*.

Sensualis; sub qua circa visum & colores, *Optica* (Dioptrica, Catoptrica) circa sonum & au-

& auditum *Grammatica*, *Musica*, circa figuram *Graphica*, quæ pictoribus, statuariis, celatoribus, sculptoribus, fictoribus, encaustis communis est.

Rationalis, quæ est Dialectica & Physica.

Dialectica est Logica, Rhetorica, Poëtica

Physica Cœlestis & Terrestris.

Cœlestis est *Sphærica* sive *Astrologia* & *Meteorologia*.

Hujus instrumenta sunt *telescopia*, quæ desiderant *Conicam* figuram *hyperbolicam*.

Ad solem contuendum requiritur *tubus* ex vitris coloratis, in quibus radii extinguuntur.

Tubus opticus fallax reperitur.

Telescopium non est prorsus fidum in rebus cœlestibus: est *fallax*. Stellæ quæ videntur *fixæ* per Tubum opticum inconspicuæ oculo nudo, sunt stellæ non novæ sed tantum *imagines* fixarum multiplicatæ: maculæ solis lusus crystalli & vitrorum sunt.

Nihil *certi* ex tubo optico habemus: nec à judicio *oculi* liberi est recedendum.

Non *tot* sunt stellæ fixæ *quot* telescopium repræsentat: quia imagines tantum multiplicat. Plures tamen sunt quæ oculo videntur communiter, imo pene innumeræ.

Fallax igitur in cœlestibus *Tubi* optici & *Telescopii* usus.

Bona sunt ad distantias *terrestres* & *corpora* usque ad *Lunam*, quorum magnitudinem augent: sed *supralunaria* & *cœlestia* omnia per *tubum* & *Telescopium* minorantur,

tur,ideoque in cœleſtibus teleſcopia & tubi *fallunt* & ſunt *inutiles*. In ſphæra *octava tubus* ſtellas nebuloſas & nihil apparentes facit magnas; at *Canem* & ſtellas *primæ* magnitudinis *minores* reddit. Sic corpus *Iovis* per tubum non* æquatur ſporadicæ ſtellæ magnitudini.

Terreſtris ſive *Geographia* eſt Vegetabilium, Animalium.

Vegetabilium, foſſilium, plantarum.

Plantarum, Botanica, Georgica.

Animalium Ethica, Anatomica, Medica.

Ethica eſt Oeconomica & Politica.

Oeconomica Κτητικὴ & Χρηστικὴ.

Κτητικὴ Terreſtris, animalis, mercatoria.

Terreſtris agricultura, plantatio, foſſio.

Agricultura Ruralis, vitifera, hortenſis.

Plantatio ſylveſtris, frugifera.

Foſſio, mineralium, metallorum, lapidum.

Animalis, cicurum, ferarum.

Cicurum pecuaria, apiaria.

Pecuaria armentorum, gregum. *Armentorum*, equorum, boum, aſinorum, *gregum*, ovium, caprarum, ſuum.

Ferarum, Aucupium, Venatio, Piſcatura, Mercatoria.

Χρηστικὴ victus, amictus, habitatio.

Victus, cibus & potus.

Cibus, panis, caro, lac.

Potus: Vinum, mulſum, cereviſia.

Huc pertinet *Coquinaria*, & *Diætetica*.

Cibi *austeri*, *acerbi*, *acidi* sunt panis non fermentatus, poma austera, fructus immaturi, sorbi, mala cydonia, lentes, castaneæ, mespila, ova dura, jecinora. Cibi *molles* & *temperati* sunt, aquea, hordeum, cucurbita, pinguia, malva, atriplex, beta, pruna, mel, ficus, uvæ, lac.

Cibi *salsi*, *amari*, *acres* sunt aromata, haleces muria conditi, vinum forte, sal, panis fermentatus & salitus, cæpe, allium, eruca. Crocus & quæ hilaritatem excitant, tenuium partium sunt & spirituosa, sanguinisque dilatationem promovent.

Multi cibi *coqui* debent ut fixiores partes præparentur ad fusionem aut volatilitatem, quo facilius à natura subigi possint. *Diæta* in duobus consistit *sobrietate* & proba *masticatione*. Quantitas non qualitas ciborum nocet: alii tamen aliis sunt salubriores. Non est negandus cibus vel potus quem quis vehementer appetit. Potus in siti non est prohibendus.

Amictus, pelles, lana, linum.

Brutorum tantum naturalis, pelles, squammæ, plumæ.

Habitatio: Domus, structura, suppellex, Brutorum: *antra*, *speluncæ*, *sylvæ*.

Suppellex fabrilis, libraria, vectoria.

Catena consensus rerum cum XII. signis Zodiaci juxta *Ægyptios* veteres ex *Arabum* libris.

Signa Zodiaci.

1. Aries.M. 2.Taurus.A. 3.Gemini.M. 4. Cancer.I. 5. Leo. I. 6. Virgo.A. 7. Libra. S. 8. Scorpius. O. 9. Sagittarius. N. 10. Capricornus.D. 11.Aquarius I. 12.Pisces F.

Quat. *Elem.*

Igneum calidum siccum. Terreum frigidum siccum. Aëreum calidum humidum. Aqueum frigidum humidum. Igneum calidum siccum. Terreum frigidum siccum. Aëreum calidum humidum. Aqueum frigidum humidum. Igneum calidum siccum. Terreum frigidum siccum. Aëreum calidum siccum. Aqueum frigidum siccum.

Lapides.

Amethistus. Hyacinthus. Chrysoprasius. Topazius. Berillus. Chrysolithus. Sardius. Sardonus. Smaragdus. Chalcedonius. Sapphyrus. Jaspis.

Plantæ.

Ελελίσφακος, Περιστερεὼν ὀρθὸς. Περιστερεὼν

στερεὼν ὕπτιος. Σύμφυτον. Πευκέδανον. Καλαμίνθη. Σκορπίουρος. Ἀρτεμισία. Ἀναγάλλις. Λάπαθος. Δρακοντία. Ἀριστολόχια.

Anim.

Oves. Armenta. Simia. Aquatica. Sylvestres feræ. Canes. Volucres. Rapacia. Animalia militaria. Ruminantia. Marina. Paluftria, fluviatilia.

Homines.

Audax, Fortis, Miles, Ingeniofus. Venereus. Jocofus. Vagabundus, inconftans. Regius animus. Steriles, pii. Jufti. Tyranni. Cholerici. Magnanimi. Nautæ, mercatores. Fœcundi. Longævi.

Colores.

Rubeus. Fufcus. Flavus. Cyaneus. Aureus. Viridis. Purpureus. Ater. Flammeus. Candidus. Cœruleus. Cineritus.

Tabula prima rerum *naturalium* quæ fingulis *Planetis* fubjiciuntur.

Metalla. Lapides pretiofi. Arbores. Grana. Herbæ. Flores. Animalia Colores. Morbi.

Aurum. Carbunculus. Laurus. Cinnamomum. Lupinus. Caltha. Heliotropium. Hypericon. Leo, gallus, Splendidus. Lucidus. Morbi calidi.

Argen-

Argentum. Corallia. Calcedon. Pomus. Colutea. Lunaria. Ranunculus. Artemisia. Ælurus. Grus. Candidus. Frigidi & humidi.

Ferrum. Magnes, hyacinthus, amethistus. Quercus. Piper. Verbena. Isatis, glastum, absinthium, ruta.. Lupus. Taurus. Accipiter Flammeus. Febris ardens. Gangræna. Cancer.

Cuprum. Achates. Chrysolithus. Mali punici. Grana kermes. Hyacinthus. Narcissus. Canis. Hirundo. Ferrugineus. Cineritius. Apoplexia. Philomania.

Æs. Sapphyrus. Smaragdus. Citrus, ficus. Grana Been. Enula. Valeriana. Betonica. Equus. Aquila. Rubeus. Cardialgia.

Stannum. Turchetia. Magarita, beryllus. Myrtus, vitis. Olea. Grana pinorum. Satyria. Orchides. Cervus, columba, bufo. Viridis, cæruleus. Gonorrhæa. Satyriasis.

Plumbum. Onyx. topazius. Iaspis. Taxus. Cupressus. Mespilus. Gith. Helleborus, aconitum, napellus. Asinus, noctua. Fuscus, plumbeus. Hypochondriacus affectus.

Tabula

Tabula ſecunda rerum naturalium ſub ſeptem *Planetis* ex libris *Arabum* & *Hebræorum*.

Planetæ.

Sol. Luna. Saturnus. Jupiter. Mars. Venus. Mercurius.

Lapides.

Pyropus. Carbunculus, rubini Gemmæ, perlæ, ſelenites. Onyx, Iaſpis, Topazius. Sapphyrus, Smaragdus, Marmor. Magnes, Hyacinthus amethiſtus. Turcheſius margarita, Beryllus. Achates, Chryſolithus, ſtellaria, marmor variegatum.

Metalla.

Aurum. Argentum. Mercurius. Plumbum. Cimolius. Stannum. Ferrum. Æs. Cuprum.

Plantæ.

Heliotropia. Lunariæ ſ. Selenotropia. Hyoſciamus. Helleborus. Taxus. Omnia venena. Fraxinus. Cypariſſus. Pomum Punicum. Citrium. Ficus. Verbena. Iſatis. Ruta. Abſinthium. Myrtus. Olea. Vitis. Satyria. Narciſſi. Lilium. Mercurialis. Perſæa.

Animal.

Animal.

Leo, accipiter, Delphinus. Ælurus, grus, oſtrea. Aſinus, noctua, anguilla. Equus, Aquila, ſturio. Lupus. Vultur. Lupus piſcis. Cervus, cygnus, columba, ſcarus. Canis, ſimia, Luſcinia, Regulus, mergus.

Aromata.

Medicamenta Caryophylla, Cinnamomum, Crocus. Ambra. Sandalum album. Aromata fluida.. Radix hellebori. Scammonea. Diagridium. Amomum. Cardamonum. Ambra miſc. Tus. Zingiber, pyrethrum. Acria ignea. Muſcus Zibet. Maſtix, Benzoin, Stirax.

Membra.

Cor, oculi, fel. Cerebrum, ſtomachus. Hydrops. Splen. hypochondria. Hepar, Icterus, Podagra, Brachia, Ciſta fellis. Febris. Genitalia, renes. Pulmones.

Domus Plan.

Leo. Cancer. Capricornus. Aquarius. Piſces. Sagittarius. Aries. Aquarius. Taurus. Scorpius. Libra.

Color.

Fulgidus. Candidus. Argenteus. Fuſcus. Cinereus. Viridis. Flammeus. Cyaneus, purpureus. Flammeus.

Tabula Planetarum.

Frigida.

Saturnus, Luna.

Omne *narcoticum* Saturni vel Lunæ est.

Saturnus *tristitiæ* pater.

Omne *venenum* est vel Saturni vel Mercurii vel Lunæ.

Saturnini ἄμυζοι.

Saturnus soli contrarius.

Omnis *dolor* gravans est *Saturninus*.

Saturnus & Luna præsunt *spectris* & *magiæ*.

Herbæ *Saturninæ* juxta *solares* plantatæ se mutuo destruunt & extinguunt.

Temperata.

Venus, Iupiter, Sol.

Venus lætitiæ, pulchritudinis & voluptatis mater.

Musicæ.

Renum, pudendorum, spermatis, fertilitatis.

Jovi subsunt *hepar* & *sanguis*.

Jupiter & Sol *spectris* inimica.

Solaria & Jovialia contra *veneficia* valent.

Corallia ratione Jovis *spectris* resistunt.

Jupiter *contrarius* Marti.

Sol & Venus extremas cum Saturno *inimicitias* gerunt.

Jupiter præest *mansuetudini, tranquillitati, verecundiæ*. *Calida*,

Calida.

Mercurius. Mars.

Contrarius Jovi.

Omnis *dolor* pungens est *Martialis*.

Sub *Marte* omnia *aspera, aculeata, urentia*.

Morbi *Saturnini* & *Martiales* curantur Jovialibus, & Solaribus, Venereis, Pers. Sat. v.

Saturnumque gravem nostro Iove frangimus.

Fabrilis Vegetabilium, Animalium, Fossilium.

Vegetabilium lignea, linea.

Lignea, doliaria, scriniaria, tornatilis.

Linea textoria, tinctoria, restiaria.

Animalium, pellionia, coriarea.

Fossilium lutea, metallica, lapidea.

Lutea figlina, lateritia, plastica.

Metallica ferrea, cuprea, plumbea, stannea, argentea, aurea.

Lapidea marmorea, vitrea, gemmea.

Libraria, scripta, impressa, picta.

Vectoria, aurigaria, nautica, equestris.

Politica complectitur *Magistratus, leges, pacem, bellum.*

Medicina est ars sanitatem *conservandi* & *morbos* sanandi.

Medicina se extendit ad omnia *viventia*, præcipuè ad animalia tam bruta quam rationalia. *Bruta* habent medicinam tum *naturalem*, de qua Doringius, tum *artificialem* sive

ſive humanam, quæ dicitur *veterinaria* & in ſpecie *Hippiatria*, de qua Ingraſſias. Feræ *cicurari* poſſunt & inter quas antipathia *conciliari* poſſunt mutua educatione.

Vita longa & ſana conſiſtit in ſpirituum condenſatione & fixatione. Huc faciunt omnia *narcotica*, maxime opium, tabacum, crocus, ambra, arcanum cedri, elixir proprietatis, nitrum in aqua fontana potum & omnia quæ *infrigidant*. Oleum *ſulphuris* duæ guttæ in potu ſingulo paſtu. Lac aſinæ quæ quotidie pectenda.

Notas perfectæ *ſanitatis* vide apud Lemmium de complexione. Talem ſanitatem ſolus *Chriſtus* poſt lapſum obtinuit.

Infantes non lacte ſed *pane, melle* & *ſaccharo* nutriendi. Sanguis ex *umbilico* effluere permittatur.

Morbi curantur tripliciter. 1. *primitive*, extinctione & ablatione ideæ morboſæ quæ lucem motu ſuo ordinario perturbat & à qua quamdiu in ſtomacho vel corpore ſtabulatur, morbi efficiuntur. 2. *radicaliter* & *fontaliter* Luce pacata & in ordinem redacta ſive in ordinario motu confirmata. 3. à *poſteriori* ablata materia occaſionali morbum excitante.

Morbi *animi* ſpiritualibus medicamentis curantur. Sic *αὐτοχειρία* curatur *pudore* & *ignominia* ſi corpora interfectorum publica ignominia notentur & ſuſpendantur. Sic virgines Chiæ cum nudæ ſuſpenderentur. *Plut*.

Morbi

Morbi *corporis* curantur medicina *universali* quam nondum revelatam Hermetici dicunt ideoque *Eliam* artiſtam expectant à quo reveletur. Vulgo appellant *lapidem* Philoſophorum.

Quia igitur illam univerſalem quam jactant medicinam nondum habent, ideo ejus loco excogitarunt *arcana* quædam, quæ tanquam *ſalia* operantur abſtergendo, reſolvendo, exhalando, expellendo, confortando, idque *radialiter* & *inviſibiliter*. Cavendum à frequente eorum uſu & ne in doſi excedatur. Talia ſunt ex opinione Helmontii 1. arcanum *cedri* faciens ad longam vitam 2. *Elixir* proprietatis. 3. Arcana *Paracelſi*, qualia ſunt ſeptem. 1. Tinctura *Lili* ab electro immaturo extracta. 2. Mercurius *vitæ*, ſtibii proles integri. 3. Tinctura *lili* etiam antimonialis. 4. Mercurius *diaphoreticus* corollatus ſive arcanum corallinum. 5. Liquor *alcaleſt*. 6. Elementum *ignis* Veneris ſeu *Sulphur vitrioli* dulce. 7. Elementum ſeu *lac* margaritarum.

Proximum ab arcanis locum obtinent medicinæ *particulares*, qualia ſunt *ſtomachica* & *ſplenica* corrigentia ſtomachi acorem, acerbitatem, auſteritatem, ſalſedinem, amarorem & acredinem; unde *vomitoria* proſunt, maxime ex helleboro. Hæc deſumuntur à *ſimplicibus* domeſticis, raro ab *exoticis* & compoſitis, qualia ſunt *fontes* metallici *eſſentiæ* mineralium, ſalis, *Nitri*,

tri, *Solis*, *Sulphuris*, *Vitrioli*, *Antimonii*, metallorum *Solis*, *Lunæ*, *Martis*, *Mercurii*, *Saturni*, *Stanni*. *Lapidum* coralliorum, ſuccini, gemmarum. *Vegetabilium*, vini, Tartari, balſami, herbarum, fruticum, arborum. *Animalium*, ex piſcibus, anguilla: ex avibus, beſtiis, ſerpente. Lapis Bezohar, oculi cancrorum, cornu cervi. *Ebur* eſt medicina univerſalis contra deſperatiſſimos morbos. *Scobs* ejus miſcetur cum æquali quantitate ſacchari vel mellis: ſuperbibatur merum generoſum.

Ex *hominibus*, ſanguine, excrementis, urina. Redigenda omnia in ſalia volatilia vel fixa. Medicinæ ſive *aquæ* medicatæ fiunt per *extinctionem* rerum ardentium in aqua. Sic *ſcabies* curatur ſi *titiones* pineos, betulaceos, guaiacinos, faginos, extinguas in aqua fontana, in cupis aut labris. Sic prunas quernas infunde vino chalybeato vel titiones in eo extingue: vel ardens *caphura* ſive ſuccinum extinguitur in vino malvatico. Contra morbos lienis & palpitationem cordis.

Operantur per *emanationem* quæ ſeſe exerit per *odores* & *ſapores*, ex ſtomacho, non contactu ſed *radialiter*, *virtualiter* & *emanaliter* in omnia corporis membra etiam à ſtomacho remotiſſima.

Extinguunt *ideam* morbificam in luce reſidentem; pacant ejus furorem & ablatis productis motum ordinarium reſtituunt.

Ap-

Applicantur tum *intus* exhibita, dum vitia stomachi corrigunt ne in membra exhalent, tum *extus* sive *appensa* vel *attracta* per suffitus sive alio modo *magnetice* applicata, etiam per transplantationem.

Aliqui loco *universalis* medicinæ usurpant *inunctionem* hoc modo. Post invocationem I. Christi & peccatorum confessionem (Iac. v. 14.) æger inungitur oleo olivarum lentis frictionibus toto corpore, capite excepto, ter: si modicus sudor appareat bonum, si non, malum. Huc pertinet illud: intus *vinum* & *mel*, extus *oleum*.

Morbi curantur *præcipitatione*; qui consistunt in humoribus per purgantia, V. S. *fermentatione*: qui sunt venenati, ut petachiæ, morbilli, pestis, per *diaphoretica*; purgantia & V. S. in his sæpe letalia.

Duæ sunt medicinæ morborum ordinariæ *purgatio* & *venæsectio*. Purgantia *attrahunt* & *præcipitant* humores ex sanguine.

Purgatio sic fit. Eligitur *medicamentum* morbo proportionatum. Hoc in stomacho *dissolvitur*: dissolutum cum reliquo chylo *permeat* venas, arterias, cor & per totum corpus simul *circulatur* cum sanguine.

In illa *circulatione* ingreditur poros pravorum humorum sibi proportionatos eosque attenuat, fermentat, à sanguine bono separat & sibi conjungit.

Ubi pharmacum exhausit vires suas vel quod aggrediatur deest, repellitur à corde & ad intestina vel os fugiens, qua data porta ruit.

Bilem purgant *leniter* caſſia, manna, roſa, viola, tamarindi: *mediocriter* aloe, eupatorium, Rhabarbarum ℨij. abſinthium: *vehementer* ſcammonea cruda vel præparata quæ diagridium dicitur à gr. 5. ad gr. 12.

Pituitam leniter purgantia nulla ſunt: *mediocria*, agaricus ℨij. ariſtolochia, been, hyſſopus, iris: *vehementer* colocynthis, cujus ſumma doſis grana xv. euphorbium, hermodactyli.

Melancholiam purgat *leniter* ſola ſena: *mediocriter* epithymus, fumaria, polypodium, ſtœchas *vehementer*, helleborus niger (albus venenum eſt) lapis armenus, lapis lazuli: imprimis *reſina* therebinthina.

Ut plurimum *leniter* purgantia dantur *unciis*, *mediocriter* drachmis, *vehementia* granis; Neque unquam *vehementer* purgantia per ſe & ſeorſim tuto exhibentur ſed ſemper *lenibus* tantum admiſcentur.

Purgantia omnia ſunt *venena*, excepta tantum *aloe:* putrefaciunt ſanguinem & carnes. Hinc illa excrementorum copia. Clyſteres, veſicatoria, fontanellæ, omnia noxia. Purgantia ſunt ſimilia veneno aſſumto. *Sambuci* radix vel juli ſi *ſurſum* evellantur, movent vomitum: ſi *deorſum* alvum. Idem de *Helleboro* tradunt.

Venæſectio, ſanguis *intra* venas arteriaſque adhuc conſtitutus, adeoque vivus non habet partes heterogeneas, ſerum, bilem, ſed illæ demum oriuntur in ſanguine *extravaſato* & mortuo qui putreſcit & putrilaginem contrahit. Si

Si *plethoræ* evacuatio instituenda, perinde est hanc sive illam seces venam, dummodo ea una sit ex majoribus. Si *revulsio* sufficit venam in parte satis remota ejusdem lateris & in longitudinem duntaxat appositam secare. Sanguis *fervens* evacuatur ex *brachio* quia ex trunco aortæ adscendentis venit: *crudus* & frigidus evacuatur ex *pede*.

Morbi *recepti* ab injectis. *Præservat* electrum *minerale* immaturum Paracelsi collo appensum vel illius potus: *Corallus* rubeus collo appensus ejusque tinctura.

Phu sive valeriana flore purpureo.

Hypericon herbosius flore minuto, *abrotanum, adiantum, Ruta*.

Utendum his herbis crudis, concisis, non coctis, non contusis, quia ita perit vis idealis.

Ligationes veneficæ curantur per cerevisiam ex *betula*, semine *dauci* & *becabunga*.

Incantationes sanantur iisdem quibus *hystericæ* passiones. Salutare est *sagam* percutientem *repercutere*. vide vitam Pærescii.

Oleum *Karrichteri* inunctum parti dolenti curat morbos veneficii. Ejus descriptio extat apud *Heer* obs. 8.

Ad *amorem* & *philtra*. Calculus humanus pulverisatus cum succo vel aqua nasturtii.

Sympathia membrorum. Quæ pedibus applicantur caput maxime afficiunt, ut lotio-

lotiones, cataplasmata, inunctiones plantarum.

Omnia *medicamenta* & *venena* operantur per *artenobolismon* sive *irradiationem.* Singula petunt illa membra, cum quibus particulæ ipsorum sive stellulæ magis conveniunt. Hinc patet quomodo *composita* medicamenta diversis qualitatibus prædita in corpus æqualiter, nullo impediente alterum, non secus ac diversi lucis radii, inconfuse agant. Singulæ enim species ex stomacho sine confusione & mixtura radiorum suorum membra sibi proportionata irradiant. Sic è contrario *venena* radios *deleterios* emittunt & sua maligna irradiatione membra necant.

Morbi ab *attractis.* Pestis.

De peste falconum, vide Helm. Tum. pestis. 61.

Pestis *humana* non attingit *bruta* & contra.

In Ægypto *calores* pestem profligant. Quamprimum in Ægypto sol *libram* ingreditur, omnes peste liberantur. Tum enim cadit *ros* nitrosus, cujus adventu omnes universaliter sanantur.

Præservat *animositas*&*fiducia* vini *generosi* potu comparata: mala *citria, scordium, calendula, millefolium, camphora*, oleum *sulfuris* & *vitrioli*. *Acida* prosunt in peste.

Amuleta. 1. *Sapphyrus* anthraci pestilentiali affrictus modo id viribus nondum debellatis fiat, & mox amotus totum ve-

nenum attrahit. Ideo apoſtema *ſapphyro* in circulum circumſcribunt, ne exiens virus latius ſpargatur. Totus circulus mox nigreſcit & tandem in eſcharam combuſtus excidit corde præſervato.

2. *Succinum* lucidum pulſibus præcipuis affrictum venenum attrahit.

3. *Camphora.*

4. *Bufones* terrore & aſpectu humano occiſæ. Sal bufonis tres ſcrupuli in aqua cardui benedicti. ſudet æger.

Curatur *ſulfure, pice* & *ſale*, arcano *carnis* viperinæ: *Diaphoreticis*, ſulfure ſeu oleo *Sulphuris* & oleo ſuccini, guttæ 12. in aqua cardui benedicti.

Congelatio membrorum ab aëre glaciato. *Euphorbium* ſolutum in oleo affrictum membrum nullo ne intenſiſſimo quidem frigore corrumpi ſinit.

Morbi *metallici*. Arcanis *mineralibus* & metallicis. *Cryſtallus* antidotus *Mercurii*.

Venena. Per *ſal* ſuum *fixum*. Omne venenum volatile tollitur per ſuum corpus vel ſal fixum.

Venena *frigida* corriguntur *calidis*, veluti per liquorem alcaheſt Glauberi, Calida *frigidis*, ut malo citrio.

Venenis reſiſtunt malum *citrium*, Antidotus *Orvietani*, vomitus, pinguia: *Carnes* animalium venenatorum & venenivororum intus & extus. *Amuletum* arſenicale: purgatio ex *croco* metallorum.

Opii antidotus *vinum* malvaticum.

Rabiei

Rabiei *caninæ* aqua *frigida copioſiſſime* hauſta &pulvis cancrorum,non gammarorum marinorum. Crudum *halecem* ſalitum, triduo renovatum morſui rabidi applica. Qui non admittunt potum aquæ, *conjiciuntur* in aquam dulcem vel ſalſam & ita *terrore* ex aqua *concepto* ſanantur.

Sal *fixus* rabidi canis ſumme purificatus. *Pili* aut *ſanguis* canis rabidi.

Spiritus Vitrioli vulneri recenti impoſitus. Pimpinella in aceto vini cocta præſentiſſimum remedium contra hydrophobiam & rabiem caninam.

Tarantulæ venenum ſale *fixo* Tarantulæ optime purificato, tres ſcrupuli in tribus ſcrupulis aquæ theriacalis.

Ebrietas curatur ſi ſcrotum illinatur ſucco ſempervivi, aceto & nitro. Gummi *lakekaſi* monilis vice in brachio geſtetur filo transfixum ita ut carnem tangat optimum remedium ad arcendam ebrietatem.

Morbi *ſuſcepti* ſunt vulnera, ulcera. Aqua frigida extus &intus ſanat omnia vulnera. *Vulnera* capitis difficilius curantur in *Gallis*, ſurarum in *Anglis*.

Sanguinem ſiſtit *nitrum* purificatum in aqua potum. *Burſa* paſtoris, *anagallis*, *millefolium*. Miſce ſanguinem è vulnere fluentem cum proprio ſtercore, ſine exiccari in olla in aëre libero.

Potiones quæ *alcali* in ſe habent, imprimis *lixivium* è tilia.

Omnis *potio* vulneraria occultum & quidem

dem volatile *alcali* in se continere debet si accidentibus sanguinis ex aciditate corrupti natis resistere debet: quia quodvis *alcali* omnem *aciditatem* quam attingit, perimit. Hæ potiones sanant etiam vulnera *pedum* correcto acore stomachi ne amplius radiet in partes subjectas eoque sublato coit sponte vulnus.

Oculi cancrorum. *Zedoaria*, *sanicula* cum vino, quia hæc in vino facillime saporem lixivialem induunt, præsertim *oculi* cancrorum. *Helm.* contra *Heer.* oculi cancrorum sanguinis *fluxum* movent, ideo in *vulneratis* periculosi.

Colcotar necat omne ulcerum fermentum. Vel cum macerato in vino vulnus abluitur: vel pulvis ejus inspergitur: vel in *oleo* lini ad nigredinem coquitur.

Arsenicum cum *nitro* fixum & aliquoties Spir. Vitriol. edulcoratum.

Pulvis *sympathicus* ex vitriolo. Pulverem *chalcanthi* insperge *linteo* ex vulnere *cruento* vel ab ulcere purulento, si vulneratus plura simul vulnera accepit sufficit sanguis ex unico ejus vulnere & ejus opera reliqua quoque curantur.

Pulvis *sympathicus* sanat vulnera letalia pericardii, intestinorum tenuium, vesicæ; quæ hic pulvis non sanat, insanabilia manent.

Sic *persicaria*, *consolida*, *sophia*, *serpentina*, *brassatella* & plures aliæ: demergantur in frigidam & super vulnus vel ulcus ali-

aliquandiu intepeſcant; mox defodiantur, ubi putrere incipiunt, attrahunt omne noxium. Herbæ *vulnerariæ* operantur virtute innati cujuſdam *alcali*.

Unguentum *ſamaritanum* ex oleo & vino.

Cavendum ne aër vulnera ingrediatur; ne vulnera nimis ſtricte ligentur; ab oleo & pinguedine, von heffen vnd meiſſeln.

Sublata cauſa *vulnus* conſolidatur. *Colla* ex pellibus maxime *humana* in vino ſoluta.

Oſſifragium, ſola conſolida.

Spina infixa *leporis* pinguedine ab adverſa parte inuncta una nocte expellitur.

Contra *lapſum*. Turchefia. Oculi cancrorum non pulveriſati geſtentur.

Morbi *concepti* à paſſionibus.

Uteri *furor* ſive *ſuffocatio*; fel anguis, odor ſulfuris: tinctura corallorum volatilis, ſal chalybis, oleum ſuccini *Corallia* rubra collo appenſa præſervant. Unde corallia rubra *palleſcunt*, ſi carnem hyſtericæ mulieris tetigerint.

Odorata *inferne* applicanda, fœtida naribus.

Folium *Bardanæ* majoris in capite geſtatum matricem attollit: ſub *pedibus* deprimit. Pone in ſoccis fœminarum folia bardanæ majoris,iis inambulent, ſtatim ſedatur aſcenſio uteri: ſi capiti imponantur, ſuſcitat. Sic ſacchari dulcedo ſopitum uteri furorem concitat.

Oleum *ſtanni* calide umbilico illitum prodeſt.

Electrum minerale, corallus præparatus & majora *arcana* sunt *universalia* ad omnes uteri affectus. Quibus succedunt secundina masculi primogeniti, fel anguis vel sulfur.

Si uteri *furor* est ex *timore*, prodest abrotanum, salvia, ruta.

Si ex *mærore*, artemisia, urtica, ballote, ribes nigrum.

Si ex *odio*, nepeta, valeriana, adiantum.

Si ex *ira*, assa fœtida, castoreum, gagates.

Si ex *furore*, hypericum, Phu tertium.

Si ex *libidine*, lepus siccatus, testes quarundam bestiarum fumo siccati, virga cervi, agnus castus, succinum.

Morbi *sanguinis* sunt *febris*, *calculus*, *scorbutus*.

Febres curantur Mercurio *diaphoretico* Paracelsi, per saliā *volatilia* ex cephalicis, majorana, ruta, roremarino, salvia, per *sudorifera* ex Mercurio diaphoretico. Cornu cervi *crudum* & raspatum usto longe præstantius est. Dentes elephanti sive *ebur*. Terra lemnia. Bolus armenus. Sal prunellæ ℥j. in aqua fontana. Sulfur fixum reverberatum. Oleum Vitrioli cum capite mortuo distillatum. In *Ephemera* admittitur *Venæ* sectio: balneum aquæ dulcis.

In *synoche* putrida *clyster* lenis: pulsus principales inungantur nitro fixo, sulphure reverberato.

In *causo*, petechiali, *cave* venæsectionem & purgationem. *Vber* frigidæ potus cum

cum sale prunellæ admittitur; imo *præcipua* cura in eo consistit, de quo supra. *Clyster* è lacte tepido, artemisia.

Quartana curatur oculis *cancrorum* è vino potus, plantagine, emplastris. Sale armoniaco purificato 6. vel 10. grana in aqua cichoreæ.

Symptomata febrium sunt *Inflammationes*. Non sunt tractandæ externè per olea vel pinguedines. Nam omnia *pinguia* inflammant potius quam sedant. Neque sufficit dicere; olea quædam esse frigida & valide calorem extinguere: nam omnia *olea* cujuscumque generis, quæ adjunctam habent pinguedinem, *ardent*, & quando cum inflammato membro conjunguntur, *ignem* augent, alunt, nutriunt, non extinguunt.

Erysipelas. Sanguis *leporis* catuum morsu enecti siccatus imponatur. Saponaria & lixivium.

Ignis fatuus vel nocturnus. Impone *aquam calcis* vivæ, in qua parum *olei* lini vel nucum, vel *Lixivium* ex cineribus pini, in quibus incocta sint illa olea.

Morbilli. Radix *rutæ* vel *scabiosæ* nudæ cuti illigata præservat oculos.

Phrenitis.

Vigiliæ.

Ophthalmia.

Parotides.

Angina.

Pleuritis. Cruoris *hirci* ʒj. cum vino.

Fuliginis camini pulverisatæ ℥ß. cum aqua cardui benedicti.

Calculus. Præservat *liquor* betulæ.

Spiritus *urinæ* per catheterem indolentem immissus. *Ludus* cum alcahest præparatus.

Odor seminis *dauci* vel flavæ *pastinacæ* sylvestris cerevisiis incoctus, odorem saxatilem necat, domat & interficit.

Scorbutus. Sanguis *volatilisandus*, ut totus exhalet. Virtus *antiscorbuticorum* potissimum consistit in eorum *sale* volatili: qui si exhalet sunt inefficacia.

Medicamenta quibus utuntur medici in obstructione *Lienis* ex crassioribus & durioribus partibus constant, qualia sunt *scolopendria, agrimonia, cortices radicum capparum, centaurea, aristolochia*.

Scorbutus curatur *volatilibus*, *acidis*, *acribus* & *amaris*, *dulcia* nocent. Potus *vini* bulliti cum *oculis* cancrorum bonus.

Quicquid constat ex partibus *sulfureis* & *salinis*, qualia sunt *aromatica*, id longissime abesse debet à medicamentis quæ in scorbuto prosunt. Requiruntur autem quæ spiritu *volatili acido* & *acri* constant, ut *cochlearia*, *nasturtium*, *acetosa*, *tamarindi*.

Quicquid abundat *sale fixo* & caret spiritibus *volatilibus*, noxium scorbuto. imprimis, *acetum*. Nisi per *squillam* reddatur volatile.

Acetum *squilliticum* indies mane sumtum,

tum, & meride & vesperi; post ejus usum deambulatio, *summum* remedium.

Omnes herbæ *vulnerariæ* habent in se *alcali* volatile: hinc occidunt *acorem* sanguinis, ex quo acore fit corruptio.

Acetum *Helleboratum* Gesneri. Rejicit illud Zwelfer.

Acidulæ Schwalbacenses.

Oleum *acidum* sulfuris.

Granum *turis*, *mastychis* vel *myrrhæ*, post cibum vel vinum deglutitum.

Mars præparatus, *Cremor* Tartari, spiritus *salis*, *Cochlearia*, *nasturtium*, *absinthium*.

Mala *aurantia* cum cortice.

Decoctum *buxi*, *quercus*, *fraxini*.

Lac cum mica *salis* aut sacchari.

Sal in usu cibi est decrepitandus.

Aqua & *oleum* commune maxime omnium humectant. Membra *sicca* sunt fovenda *aqua* tepida, quia meatus ob siccitatem strictos laxat, & tepida aqua fundit ac liquat humores. Alii præferunt *hydræleum* maxime hyeme, quia aqua tepida humectando.

Hydrops refrigerat.

Purgant aquam hydropicam leniter succus *ebuli* ℥j. Radix *mechoacoræ* ℥j. vehementer *mezerium*, *elaterium*, *esula*.

Mercurius præcipitatus Paracelsi.

Omnium in liquorem versum. Exuviæ *anguium* renibus & vesicæ alligatæ.

Arthritis. Aquæ frigidæ potus.

Cephalæa. Radices *plantaginis* nuchæ applicatæ.

Hemicrania.

Odontalgia. Tange dentem osse brachii bufonis.

Coryza. Per sternutatorium ex *helleboro* nigro & saccharo ana.

Chiragra.

Verrucæ: pomi transcissi *pulpa* interior affricetur verrucis donec intepuerit: pomum filo colligatum computrescat, verrucæ pereunt.

Paneritium. Lumbricum vivum vel contusum impone.

Fames intensa.

Soda.

Pica.

Colica. Anethum, carvum, cuminum, daucus, dens apri. Oleum *amygdalarum* dulcium ad semilibram sumtum. Cranium *humanum* præparatum scrupulo uno exhibitum in causa frigida cum semine anisi, in calida cum coriandro.

Nephritis, per succum *acaciæ*.

Dysenteria. Caput mortuum aquæ fortis, egere in hoc excrementa & tege alio caput mortuum pulverisato & sic eum excretis fac S S S. ter. sanat magnetice. Ita si *sanguinem* stillante ex naribus excipias, hoc pulvere sistitur. Serum lactis est unicum remedium fluxus torminalis.

Gonagra. Emollientia mediocri calefaciendi & humectandi potestate partes du-

ras emolliunt. Talia ſunt cæpe cocta, amygdalæ dulces, terebinthina, oleum olivarum, lini, amygdalarum dulcium, lumbricorum.

Podagra, Sal auri cum Spir. Vitriol. purgatio per arcanum corallinum.

Iſchias. Potus aquæ frigidæ 3. vel 4. dierum ſpatio.

Lumbago.

Obſtructiones.

Stupores.

Coma ſomnolentum.

Carus.

Struma.

Ructus.

Rugitus.

Ileos.

Volvulus; plumbei *globi* aliquot deglutiti: quo plures & majores eo melius. Æger erectus ſit.

Alvus ſuppreſſa.

Dyſuria.

Iſchuria.

Stranguria.

Mictus cruentus. Per liquorem *tauri*, vel quod melius *hirci* embryonis veſica contentum; vel cereviſia medica.

Sterilitas, ſal ex muribus vel lepore cum ſpir. Vitriol. per menſem propinatus.

Scyrrhi.

Oedemata.

Tumores.

Polypus.

Clavi pedum. Pix ſutoria.

Reduviæ. Primo diligenter amputentur. 2. detineantur in vino adſtringenti, in quo bullierit *cupreſſus* & parum *aluminis* : nam hujuſmodi ablutio ita conſtringit ut poſtea non diſſolvatur.

Faucium tumor. Præſervat frequens *linguæ* ſcalptio.

Ganglium.

Thromboſis lactis.

Lactis redundantia. Mulier ablactans quo citius ſibi ubera ſterileſcant, in *prunas* lac emulgeat : mox ubera flacceſcent.

Varices.

Aſthma. Acetum ſcilliticum cum melle deſpumato in hyeme, aut ſaccharo in æſtate.

Tuſſis. Idem acetum ſcilliticum eodem modo. Fumus ſulphuris immediate potui conjunctus. Nitrum fixum cum ſpir. Vitriol.

Laudanum opiatum Paracelſi. Optime curatur per potiones vulnerarias & per flores ſulfuris in alcaheſt ſolutos.

Empyema.

Incubus.

Syncope.

Hernia. Per *magnetem*. Præciſa *arteriola* ne quicquam alimenti accedat.

Icterus. Curatur per *appoſita* chryſanthemum, dentem leonis, Rhabarbarum, crocum, curcumam, lapathum acutum,

grana

grana juniperi, ftercus anſerinum, in vino diſſolutum, millipedes, lumbricos, flavos vermes inter aſſeres.

Paralyſis. Curatur mercurio *diaphoretico*, Balneo ex *aqua* pura in qua ſex libræ *ſalis* urinæ, tres libræ *ſalis* Tartari ebullierunt, in hypocauſto calido.

Vacillatio dentium.

Flatus. Per quatuor ſemina *minora* in vino.

Cholera ſicca.

Tinnitus, ſonitus aurium & ſurditas oleo ex *cochleis* mirabile. Proſunt oleoſa & amara.

Ructus nidoroſi.

Nauſea. Omnes morbi ſtomachi curantur, per quatuor ſemina *minora* calida, aniſi, carvi, coriandri, fœniculi, ana, bulliant in vino.

Vomitus.

Lumbrici, vermes. Bulliat mercurius in aqua, potetur aqua. Sal *urinæ* umbilico admotum.

Dracunculi.

Lues Gallica. *Quercus* Germanorum eſt lignum Guajacum: etiam *Corylus*, *Sambucus* & *Iuniperus*.

Melancholia.

Nocent *auſtera* & *ſalſa*.

Proſunt *aqua*, *chalybs*, *ſcorbutica*.

Acida. *Acida* proſunt & curant melancholiam quatenus bonam *fermentationem* excitant, impuras ſanguinis partes ſeparant

rant & reliquam ejus massam accurate miscendo temperant. Nam temperare nihil est aliud quam probe particulas miscere & inter se implicare.

Convulsiones.

Vertigo. Jentaculum. Vomitus. *Nymphæa* mense Iunio in ipso puncto quando Sol cancrum ingreditur collecta, & in aere boreali arefacta, solo aspectu vertiginem curat.

Epilepsia. Spiritus *cruoris*: attactus ungulæ *alcis* sinistri pedis posterioris. Vel *salex* hac ungula præparatum. *Sal* talparum. Scobs *cranii* humani. Radix *pæoniæ* masculæ fossa Luna decrescente mense Iulio, collo appensa.

Ramus *sambucinus* in antiqua salice nascens præsentissimum & certissimum remedium.

Apoplexia. Destillata *stomachica* validiora & aromatica.

Mania.

Coma vigil.

Spasmus. Radix gladioli lutei.

Sternutatio.

Palpitatio cordis.

Cholera humida.

Volvulus: globi aliquot plumbei deglutiti.

Lepra. Alcaheft.

Vlcera. Osse mortui *circumscripta* non amplius exedunt.

Pruritus.

Sca-

Scabies. Lavatur cum *Nitro fixo* ſoluto in aqua roſarum. Inungatur ſulfure.

Alopecia.

Canities. Scrotum illinatur ſucco *juglandium* viridium.

Calvities. Inungatur oleo ſulfuris calido.

Furfures ſeu *porrigo*.

Maculæ *Ephelides*. Sulfur calcin. in aqua ſolvatur.

Squammæ.

Fiſſuræ cutis.

Fæditates.

Puſtulæ.

Elephantiaſis Græcorum. Vipera Arabum.

Cancer.

Paneritium. Cruor & pellis recens *talpæ* circumligetur.

Gangræna. Forte *Lixivium* gangrænas profunde ſcarificatas ſiſtit eo quod in *lixivialibus* omne *acidum* commoriatur.

Ophthalmia. Oleum ex bacca herbæ paridis.

Catarracta. Fumus ſuccini. *Vrina* in qua Sal armoniacum ſolutum oculi laventur.

Gingivarum rubedo.
tumor.
fœtor & putrilago.

Dentium caries.
nigror; cineres oſſium, ſpuma *vitri* dentes mire candidos reddit. Spir. Vitriol. vel aqua fortis aqua temperata.
ſtupor.

ſtupor.
vacillatio.
dolor. Tange dentem oſſe *brachii* bufonis.

Crurum extenuatio.

Catarrhi.

Ptyaliſmus.

Diabetes.

Diarrhœa. Duo vitelli *ovorum* duri aceto roſaceo temperati. Equorum (ſed cavendum ne luxurient) *ungulæ* butyro frixæ.

Dyſenteria, Sanguis *leporis* canum morſibus enecti, linteolo exceptus, ſiccatus, potus in vino carptim.

Hæmorrhoides. pomum *cardui* ſaltem in pera geſtatum hæmorrhoides pellit.

Menſtrua.

Partus difficilis. *Iecur* & *fel* anguillæ pulveriſata, magnitudine anguillæ. *Magnes*.

Maculæ fœtui impreſſæ. Admove manum *cadaveris* lenta morte extincti, donec macula infrigidata.

Fluor albus.

Sudores.

Morbi *carnis* ſunt *tabes*, *maraſmus*, *hectica*.

Tabes. Mercurius *diaphoreticus* dulcis, inſtar mellis & fixus. Tinctura *Lili*. Lac *Perlarum*.

Maraſmus.

Hectica. Diæta humida. *Balneum* aquæ dulcis,

dulcis, potus lactis, aqua cum *sale* prunellæ, *alumen* dulce.

Morbi *ossium* sunt *sphacelus*, *caries*.

Senectus. Arcanum *Cedri*, Elixir *proprietatis*, omnia quæ particulis *mollibus*, *ramosis oleosis* abundant.

Mors. Contra vim mortis non est medicamen in hortis. Fides in Christum.

Universalia *symptomata* & *effecta* febrium sunt.

Erysipelas.

Morbilli.

Particularia.

Cerebri & meningum: *Phrenitis*, *Vigiliæ*.

Oculorum: *Ophthalmia*.

Aurium: *Parotides*.

Faucium: *Anginæ*.

Pulmonum. *Phthisis* fit cum atomi *acutæ* separantur à reliquis & in unum coëunt: unde reliquas præsertim *rotundas* superant, expellunt vel extinguunt.

Pectoris: *Pleuritis*. & *peripneumonia*: Pleuritis.

Vera. Cum particulæ *acidæ* sanguinis perturbantur & extravasantur in venam *azygon* vel ipsam *costarum* carnem expelluntur, illæ particulæ acidæ *coagulantur* & *apostemata* pariunt. Unde dolor pungens, convulsio, dilaceratio pleuræ.

Spuria est à *latice* intercostali putrescente.

Peripneu-

Peripneumonia.

Eandem quam pleuritis habere poteſt cauſam, cum ſanguis *acidus* in venam arterialem vel arteriam venalem diſpergitur.

Calculus. Eſt depravatio ſanitatis orta ex lapidificatione urinæ & fellis.

Quando in ſanguine prævalent particulæ *auſteræ*, quales in urina copioſe deprehenduntur, quæ particulas *ramoſas, viſcidas, dulces, ſalſas, amaras, acres* coagulant & in lapidem figunt, oritur *calculus* in omnibus corporis partibus.

Fermentum lapideſcens ſive lapidificans eſt vel auſterum vel amarum. *Amarum* ut quando in veſica fellis lapilli gignuntur, quod contigit Chriſtierno II. Tyranno Daniæ & Sueciæ, ut teſtatur Swaningius in vita ejus. Incertum cauſa hujus lapidificationis ſit viſcoſitas ſive glutinoſitas fellis, an amarities, an utraque. Sic ſi *fel* bovis affundas *arenæ*, arena in lapidem arenoſum concreſcit.

Nephritis fit etiam à vaſorum laxitate.

Scorbutus eſt depravatio ſanitatis orta ex partium ſanguinis craſſarum *adustione*.

Quando Lux quæ partes ſanguinis craſſas quales ſunt ſalſæ, amaræ, aqueæ ſive ſeroſæ, regit, in ſuo motu naturali & ordinario ab aliquo peregrino perturbatur, dum illud peregrinum expellere conatur, efferveſcit ac particulas illas craſſiores incendit,

cendit, adurit, condensat; unde sanguis *figitur*; hinc *empyreuma*, humores ac vapores *adusti*.

Quæcunque igitur particulas crassas sanguinis *figere* & *adurere* possunt, ea *scorbutum* generant, & contraria illis scorbutum tollunt. Unde *vina* & *cibi* in stomacho ac intestinis acescunt, ebulliunt; & particulæ *ramosæ* ac *ruderosæ* sanguinis aduruntur & figuntur.

Idque fit à vitio *lienis*. Si *lien* sit frigidior, particulæ *acidæ* degenerant in *austeras*, *acerbas* & *fixas*, quæ particulæ sanguinis fixæ figunt quicquid in reliquo sanguine volatile est; unde morbi frigidi & sicci, imprimis melancholici. Si *lien* sit calidior, particulæ *acidæ* degenerant per prolongationem in *salsas*. *amaras*, *acres*, unde morbi calidi, *palpitatio* cordis, febres *hecticæ*, acres in liene punctiones.

Si sanguis non totus sit volatilis & exhalet absq; ulla relicta fæce, oriuntur morbi *scorbutici*, tum *externi*, ut tophi, scirrhi, nodi, apostemata: tum *interni*, febres, apoplexia, epilepsia, asthmata, dolores.

Universale *symptoma* hujus morbi scorbuti est *cachexia*, cujus inseparabile signum *decoloratio*, eaque 1. *prærubra*. 2. *citrina*. 3. *atroviridis*. 4. *albida*.

Estque *hydrops*, *Icterus*, *Melancholia*.

Cumque propter adustionem & calcinationem talis sanguinis particulæ facile à se invicem separentur ob defectum humidi

gluti-

glutinosi: hinc singulæ particulæ singulos ac peculiares morbos producunt. Si enim prævaleant particulæ *salsæ*, oritur *hydrops*, si *amarræ* icterus, si *acres* melancholia. Sive igitur particulæ tales *prævaleant* in sanguine sive *separentur* à sanguine, oriuntur morbi *scorbutici*, qui in tres classes generales distinguuntur & sunt *hydrops*, *icterus*, *melancholia*, sub quibus reliqui fere omnes morbi, præter febres & pestilentiam, continentur.

Hydrops fit quando particulæ *salsæ* in sanguine prævalent & separantur.

Quando in sanguine adulto & calcinato superant particulæ *salsæ*, & à reliquis secedunt ac in cavitates colliguntur ibique constrictis poris & meatibus includuntur, oritur *hydrops*.

Si *tunicæ* vasorum & venarum ita rarefiant ut justam densitatem ad aqueas, salsas & serosas partes in vasis continendis non obtineant, humores per eas transudant & cavitatem *abdominis* paulatim implent corpusque in tumorem attollunt: unde *ascites* generatur, quod etiam vitio vasorum lymphaticorum fieri potest.

Hydrops fit cum atomi *rotundæ* separantur à reliquis & in unum corpus compinguntur; unde reliquas atomos præsertim *acutas* superant & extinguunt.

Vera *causa* hydropis hactenus incognita dependet ab illis quæ de causa sudoris tradita sunt. Cum nimirum partes corporis,

ris, imprimis cor, hepar, ſanguis, ita aduruntur ut quaſi calcinentur præ nimia ſiccitate: tum ex reliquis partibus intrinſecus attrahunt partes *aqueas* & glutinoſas, & extra corpus aërem ambientem præſertim æſtivum ac frigidiſſimum ac potenter in aquam ſalſam & ſeroſam convertunt, à qua omnes corporis cavitates, præſertim abdomen & thorax ſtagnantur. Non ſecus ac ſal *Tartari*, aërem attractum in aquam convertit ac cum eo ſimul liqueſcit. Exemplum inſigne de moniali Romana extat apud Digb. de pulv. Sympath. Hinc tanta copia lotii, tantus ſudor, tanta ſitis in hydropicis. Si tamen comparationem inſtituas inter ſitim & potationem hydropicorum, paucæ urinæ ſunt in hydrope potatore & ſiticuloſo.

Particulæ *ſalſæ* ita à cæteris ſeparatæ & in cavitates collectæ reſolvuntur vel in *humores* vel in *vapores*.

Si in *humores*, oritur *aſcitis*, *anaſarca* ſive leucophlegmatia, *hydrocephalus*.

Si in *vapores*, oritur *tympanites*.

Nulla tamen *aſcitis* ſine flatibus, nec *tympanitis* ſine aqua.

Utraque eſt vel *pectoris* vel *abdominis* vel *capitis*.

Particulæ *ſalſæ* à reliquo ſanguine ita ſeparatæ tranſmutantur in *acidas*, *auſteras*, *acerbas*.

Si tranſmutentur in *acidas* oriuntur morbi punctorii.

Ar-

Arthritides à particulis ſanguinis acidis in nervos impactis.

Apoſtemata purulenta; acidum enim coagulat ſanguinem, unde pus.

Cephaleæ.

Hemicraniæ.

Odontalgiæ.

Coryza.

Chiragra.

Fames intenſa, appetitus *caninus*, *bulimia*, *orexis*, *pica*. Quæ omnia oriuntur à particulis acidis os ventriculi ſtimulantibus vel à fermento ſtomachi acido aucto nimium & depravato. Unde in *pica* mulierum, quia fermentum ſtomachi nimis acidum eſt, aciditati illi extinguendæ *cretam*, *calcem*, *lateres*, *argillam*, *cineres*, edere coguntur, quia pica fit à fermento ſtomachi acidiſſimo.

Colica ab *acido* & *pontico* excremento: vel ab *atomis* oblongis, cavis, aëreis, conjunctis & à cæteris ſeparatis.

Nephritis.

Dyſenteria à ſanguine *acido* in inteſtinis.

Gonagra.

Podagra à particulis acidis ſanguinis in *ſynoviam* miſſis, quæ grumeſcit ſive coagulatur; unde tumores, calx, creta, nodi. Quicquid *aciditatem* auget podagram irritat ut vina acida, aſparagi: quæ minuunt aciditatem, podagram minuunt.

Si particulæ *ſalſæ* tranſmutentur in *auſteras*, oriuntur

Ob-

bstructiones.
tupores.
oma somnolentum.
arus ex obstructione arteriarum carom; unde spiritus vitalis qui animalis, de sensus & motus, materia est, interitur.
uctus.
ugitus.
leos ab aridi tostique stercoris obstruone.
Alvus suppressa.
Dysuria, *Ischuria*, *stranguria* ex acido tu in vesicam delato.
Si particulæ *salsæ* transmutentur in *acer-r*, oriuntur
Scyrrhi.
Oedemata.
Tumores.
Polypus.
Ganglium.
Thrombosis.
Varices.
Asthma, idque duplex; unum *utrique* xui commune & hoc vel *siccum* vel *humidum*: alterum *muliebre* ab utero.
Tussis.
Empyema, *Incubus*, *Syncope* cum particuæ sanguinis *acerbæ* obstruunt orificia vaorum cordis: unde impedita caloris distributione extrema frigent.
Icterus fit quando particulæ *amaræ* in sanguine prævalent & separantur.

Si

Si particulæ. sanguinis nimium habent *amari* & illæ amaræ particulæ separentur à reliquo sanguine, oritur *icterus*, qui est duplex, *flavus*, *niger* sive *viridi* pallidus.

A *serpente* admorsus confestim ictero affligitur. Quamprimum *amarum* in sanguine dominationem obtinet, sanguis non secus ac olla aquæ igni calescens, ebullit.

Si particulæ *amaræ* sint flexiles, oriuntur

Paralyses, ab acido in nervos transmisso; unde & contractura.

Vacillatio dentium.

Si particulæ *amaræ* sint *lubricæ*, oriuntur

Flatus.

Cholera sicca.

Cœliaca à pyloro patulo.

Ructus nidorosi.

Nausea.

Vomitus ab humoribus *aquosis*, *pituitosis* & *biliosis* per arterias *cœliacas* in ventriculi cavitatem expulsis : vel etiam à *pyloro* clauso.

Omnes tales morbi à vitio pylori.

Lumbrici, teretes, lati, cucurbitini.

Vermes

In *auribus* tinnitus ab induratione & condensatione tympani *sonitus*, *surditas*, à *pituita* flatuata.

Si particulæ *amaræ* sint *viscidæ*, oriuntur

Lues Gallica, quæ consistit in viscido & mucoso humore.

Mucus.

Melan-

Melancholia fit cum particulæ *acerbæ* & *[…]derosiæ* sanguine prævalent & separan[…]r.

Melancholia est *frigida* & *sicca*, id est ad [..]calescendum & rarefiendum in corde in[…]otior; unde defectus *fermentationis*, id est [..]refactionis & attenuationis: hinc *frigus*, [..]*uditas*, humorum crassities, *mœstitia*, *tar[..]itas*. Melancholia igitur multū convenit [c]um *pituita*; differunt quod melancholia [m]agis terrestris est & sicca; pituita aquo[..]or & viscosior. A solo defectu *fermenta[t]ionis* oriuntur affectus melancholici. *Me[l]ancholia* enim est *tardus* & ad rarescen[d]um in corde minus aptus *humor*, qui ob[s]tructionem lienis, tristitiam producit; [e]stque talis humor *serum* cui multum salis [c]*rassi*, *austeri*, *acerbi*, *acidi*, *alcalisati* admixtum est. Melancholia iñ sanguine se habet ut *caput mortuum* in alchimia, quod adustum, siccum, terrestre, grave, fixum & ad motum penitus ineptum est.

Unde á nimia densitate ac crassitie harum particularum ac poris irregularibus, *nigror*, *tristitia*, *metus*.

Occupantur melancholici in *terribilibus* fingendis, quia ex humore, vel vapore melancholico exhalant particulæ *horribiles* ad *cor*; unde cordis istæ particulæ concitantur quæ terrorem vel tristitiam movere possunt, utpote á particulis *terrificis* vitiosi humoris impulsæ: ab his cordis particuli terrificis ita ab humore melancholico exa

gitatis impelluntur particulæ *cerebri*; unde cogitatrix *terribilia* concipit & fingit. Unde *melancholia* dicitur balneum *Diaboli*.

Si particulæ *ruderosæ sint asperæ, angulosæ, contortæ*, fiunt

Convulsiones: nam illæ particulæ in *musculos* irruentes & impactæ, dum natura eas expellere conatur, convulsionem excitant.

Vertigines ab inordinato spirituum perturbatorum motu: spiritus perturbantur à vapore calido; à *pyloro* patente & sordes ex intestinis attrahente.

Epilepsia à vaporibus *ruderosis* asperis qui ad cerebrum delati poros nervorum obstruunt: hi obstructi à tam peregrino & inusitato hospite, negant spiritibus aditum & liberum transitum: unde sensus omnes vel aliqui pereunt.

Mania. Caret sordibus. *Maniaci* non læduntur *frigore*: sunt *famis* & *sitis* tolerantissimi.

Apoplexia fit dum sanguis *nimius* & *ruderosus* obstruit eam cerebri partem, quæ *torcular* dicitur. Vel oritur ab atomis *cubicis* conjunctis.

Coma vigil.

Spasmus.

Sternutatio à sanguine *ruderoso* membranam narium interiorem irritante.

Palpitatio cordis.

Cholera humida.

Syncope

Syncope cardiaca cum particulæ ſangui-
s *ruderoſæ* magna copia irruentes in *cor*,
pente opprimunt & *figunt* quicquid eſt
latile in ſanguine.

Si particulæ ſanguinis *ruderoſæ* ſint *duræ*,
int

Lepra à cruore non exhalato. *Butyrum*
ſcibus ſine *aceto* affuſum, lepram facit.
nguis leproſorum affuſo *aceto* vel *lixivio*
ullit.

Vlcera quorum producta ſunt. 1. *Cavi-*
us à fermento ulcerifico hærente in fun-
o & circa labra. 2. In partibus carnoſis
us ex cruore per acidum coagulato. 3. In
ermaticis *ichor* ſive ſanies.

Scabies, tophi, ſcirrhi à cruore non exha-
to.

Pruritus eſt à ſale urticoſo.

Alopecia.

Furfures ſeu porrigo.

Squammæ.

Sciſſuræ cutis & *reduviæ.*

Fœditates.

Puſtulæ.

Elephantiaſis Græcorum & Arabum.

Cancer.

Gangræna à ſale corroſivo.

Ophthalmia.

Gingivarum rubedo.
tumor.
fœtor.
putrilago.

Dentium caries.
nigror.
ſtupor.
dolor.
vacillatio.
lapis.

habet vim conglutinandi fracta vitra.

Crurum extenuatio,

Si particulæ ſanguinis *ruderoſæ* ſunt, *ſiccæ* fiunt.

Catarrhi.

Ptyaliſmus.

Diabetes.

Diarrhœa.

Hæmorrhoides.

Menſtrua. Suppreſſis venis *hypogaſtricis*, per quas nonnunquam menſtrua expurgari ſolent, ſanguis craſſus ac ſuperfluus qui hac via expurgari debebat, ſurſum ad *cor* fertur ibique palpitat & alia mala excitat.

Fluor albus.

Sudores.

Senectus eſt *ſanitatis* in *mortem* declinatio.

Atomi tempore deteruntur: unde ſenectus, debilitas, ſiccitas & defectus fermentorum.

Senectus fit à defectu Lucis; qui defectus oritur ex mutatione & detritione *particularum* & *pororum* corporis, dum conſtipantur, denſantur, exareſcunt & ſiccantur: unde minor Lucis influxus & debilior motus.

Mors

Mors fit expulſa Luce ex ſanguine,carne & oſſibus.

Lux expellitur ac corpus deſerit vel nimia *rarefactione* pororum; unde diſſipatur & exhalat: vel nimia *condenſatione*, unde ſuffocatur.

Cum aliquid moritur, forma ejus ſive anima (id eſt Lux) animæ mundi, id eſt, Soli readunitur, materia elementis.

Quicquid *Lux* deſerit, id ſtatim moritur. *Sanguis* ſicut eſt *primum* vivens, ita *ultimum* moriens. Moriente jam animali nec amplius ſpirante, *cor* tamen aliquandiu pulſat vitamque retinet. Quieſcente autem *corde* motum videas in auriculis ſuperſtitem ac poſtremo in auricula dextra, ibique ceſſante tandem omni pulſatione, *undulatio* quædam & obſcura *trepidatio* ſive *palpitatio*, ultimum vitæ indicium reperitur.

Pulmo eſt primum, *cor* & *ſanguis* ultimum moriens. *Cerumen* ſive ſordes aurium in morientibus *dulceſcunt*.

Naturali morte extinctum cadaver *riget*; violenta aliquandiu *flaccet*. *Veneno* necati *inflantur*, quia acida carnem inflant.

Mors minimo doloris ſenſu à *cicuta* & *aſpide*.

Mortem conſequitur *frigus*, *rigor* & *ſideratio* membrorum.

Viſcus aliquod in *inſtanti* paucis ante mortem diebus vel horis *putrere* incipit.

Venæ poſt mortem per aliquot dies cruorem à coagulatione præſervant, donec aceſcat.

Flammula herba, *cantharides*. *piper* aliaque cauſtica, *ignis*, *venena*, *purgantia*, non veſicant, vel movent cadaver, ſed illud conſumunt.

Anima *ſenſitiva*, *ratio*, *voluntas* libera & *memoria* pereunt. Mortui profunde ſepeliendi.

Mens ad Deum redit, ut ad deputata ſibi *loca* tranſeat.

Cruentatio cadaveris fit quia ſanguis ſibi *vindictæ ideam* impreſſit.

Mors eſt vel vegetabilium vel luminarium vel animalium.

Vegetabilium. Omnes *arbores* præter *ſuberem*, ablato cortice moriuntur: *abies præciſo* vertice moritur.

Luminarium. Moriuntur per σβέσιν & defectu materiæ combuſtibilis.

Animalium. Anguillæ exanimes ſolæ piſcium non *fluitant*, quod cœno paſcuntur.

Frigore extincti à *membro genitali* mori incipiunt, ſive membrum *virile* frigore primum moritur. Unde viatores hyeme acerrima illud charta multiplici contra penetrabile frigus muniunt.

Duo ſunt quæ majorem hominum partem ex vita abripiunt & plures homines necant quam bellum vel incontinentia ſive intemperantia. 1. Cum homines ubi valde

valde incaluerunt frigido aëri se exponunt. 2. Cum diu humidos pedes servant.

Anima separata à corpore est in *nullo loco*, quia immaterialis, & tamen à nullo loco abest; neque est in *tempore* aut tempori subjecta & tamen omni tempori præsens; eaque *omnia* novit quæ noverat dum erat in corpore & separata à corpore plurium nanciscitur rerum notitiam.

Unde *animæ* eorum, qui in hac vita *scientiam* habuerunt, perfectiores erunt in altera vita eorum animis qui fuerunt rudes. Animæ eorum qui *virtutes* in hac vita sectati *beatæ* erunt; qui *vitia*, miserabiles.

Mechanica est *Architectonica*, statica, *Thaumaturgica*. Varias mechanicæ divisiones Politianus in Panepistemone tradit, quæ tamen non placent. Summa mechanicæ divisio est in architectonicam (quæ civilis sive œconomica & poliorcetica sive militaris) staticam & Thaumaturgicam, ad quam pertinent hydraulica, pneumatica, automata, organica, imprimis Typographia, Nautica & Poliorcetica.

Historia est *Divina* & *Mundana*. *Divina* est *Ecclesiastica*.

Mundana est *Philosophica*, *Mechanica*, *Chimica*. Huc imprimis pertinet Historia *Humana* sive *Politica*, quæ proprie & κατ' ἐξοχὴν Historia dicitur, ac reliquas omnes Historiarum species complectitur, quæ

totidem ſunt quot ſpecies Philoſophiæ, Mechanicæ & Chimiæ, quas ſupra recenſuimus. Nam cum homo ſit finis, compendium, & gubernator totius mundi, hinc omnes ſcientiarum, artium & hiſtoriarum ſpecies ad ſolum hominem recte & convenienter revocantur.

Chimia eſt ars *tranſmutandi* corpora *naturalia* in *artificialia*.

Tranſmutatio eſt partium corporis ut prius locatæ erant *ſeparatio*, *transfiguratio* & *tranſlocatio*. Quare nulla fit *tranſmutatio* niſi partes ex ſua figura, loco & ſitu in alium tranſmutentur ac novam figuram, locum & ſitum acquirant. Ex *figurarum* conjunctione, disjunctione & permutatione *oritur generatio*, *corruptio* & *tranſſubſtantiatio*. tranſmutatio fit tripliciter. 1. per motum *abraſionis*, *comminutionis*, *diviſionis*, cum ex particulis craſſis, oblongis, ramoſis fiunt ruderoſæ. 2. *diſcerptionis* cum ex particulus ruderoſis & oblongis fiunt ramoſæ. 3. *prolongationis* & *adhæſionis* cum ex ramoſis & ruderoſis fiunt oblongæ. Unde in tali transfiguratione particularum, impedito motu lucis ordinario fit tranſmutatio.

Cum atomi *naturaliter* diſponuntur oritur *generatio*: cum vehementius agitantur, *alteratio*: cum majus ſpatium acquirunt *augmentatio*: cum anguſtius coarctantur *imminutio*. In

In ea ſpectantur media, modus & materia. *Media* ſunt vel *naturalia* tantum vel *artificialia* tantum vel *mixta* ex naturalibus & artificialibus.

Artificialia ſunt *furni*, *vaſa* & *ignis*.

De his vide *Chymiotechniam* Joh. Rhenani.

Omne *artificiale* eſt robuſtius naturali. Sic *mulus* ex aſino &equa utroque robuſtior eſt. Et *æs* quod ex *ære* & *caſſitero* conflatum eſt longe firmius ac durius utroque eſt: nam ex hoc *tubi* bellici conficiuntur, ex illorum ullo nullum. Ex *ovis* in Ægypto calore furni excluduntur pulli. *Ruta* in ficum indita pulcherrime creſcit: adeo ab affini acrimonia juvatur. Corpora continent illa in ſe, quæ tranſmutatione producuntur & non continent illa in ſe: utrumque verum eſt.

Vaſa ſint *clauſa* ne aër ingrediatur. Excipe *Nitrum, Salarmoniacum, Mercurium*. Parvum *foramen* cum acicula in luto faciendum, alias cuncta rumpunt & diffringunt. Spiritus *ſubtiliſſimi* in nullo vaſe clauſo contineri poſſunt in calore: quia *rarefacti* vel per *poros* vaſis anguſtiſſimos exhalant vel illud difrumpunt.

Ignis eſt cœleſtis & terreſtris.

Cæleſtis eſt ſolaris, lunaris, ſtellaris.

Radii ſolis *concentrantur* per ſpeculum concavum. In *cono* uniti fiunt *ignis*.

Terrestris est *ardens*, *candens*, *fermentans*.

Hi *ignes* particulis suis minimis acutissimis, subtilissimis & penetrantissimis *poros* corporum sibi proportionatos intrant, *angulos* & *latera* movent, exagitant, crassa attenuant, dilatant, rarefaciunt, sese cum materia permiscent, obvolvunt, circulant & eam in minimas particulas sibi similes discindunt.

Variato *gradu* ignis variat effectus: alia *lento*, alia *mediocri*, alia *fortiori* igne perficiuntur.

Ignis terrestris est *mors* rerum artificialis: quia omnia destruit & transmutat in novas species, nimirum *Mercurium*, *sulphur* & *Solem*, quæ in composito non fuerunt actu, sed ex eo per artem & ignem producta & effecta sunt. *Quindecim* gradus ignis sunt.

Crescente *colore*, crescat *calor*.

In *fine* operis ignis fit *fortissimus*.

In *projectione* ignis supernus inferiori intensior esse debet.

Ignis *ascendens* destruit, separat, evaporat, rapit: ignis *descendens* conservat, præcipitat, figit, auget corpora pondere.

Uno igne per *descensum* & *ascensum* operari potes.

Lumen multiplicatur *phiala* vitrea *aqua* plena ad *candelam* posita.

Cor-

Corpora *dura* quorum particulæ aliæ ab aliis citius ſeparantur per evaporationem, ea *fumant* & *ardent*.

Flamma ſua natura *rotunda* eſt, non pyramidalis.

Ignis lucet non tamen ardet, in lignis putridis, piſcibus ſale conditis, guttis aquæ marinæ.

Cauſa: quia lux inſita habet quidem tantum virium ut poſſit pellere particulas aëris unde fit ſplendor: ſed non tantum virium ut poſſit particulas terreſtres illorum corporum à ſe invicem disjungere, unde *flamma*.

Ignis *ardens* ſeparat *fixa* à *volatilibus*, *odora* ab *inodoris*, ſed non *purum* ab *impuro*, quia æqualiter & purum & impurum urit: ſed hoc fit per *fermentationem* & digeſtionem.

Modus eſt *ſeparatio* (ſolutio) *productio* (coagulatio) & *multiplicatio*.

Tranſmutatio fit per motum *localem* particularum quæ fit *transfuguratione*, *locatione* & *proportione* ſive æquatione vel additione vel ablatione.

Acidum additum ſalſo fit nitroſum.

Quotieſcunque *corpus* dividitur in *ſubtiliores* atomos quam ſuæ ſubſtantiæ ferat exigentia, continuo ſequitur corporis illius tranſmutatio.

Separatio eſt corporis in ſuas partes diviſio.

Omne *corpus* ſolvitur in particulas acidas, ſulfureas ſive pingues & ſalinas, ſive in *Mercurium*, *Sulfur* & *Solem*, ignem, aërem & terram.

Subtile ſolvit ſuum *homogeneum* craſſum.

Solutio eſt Principium tranſmutationis.

Particulæ ſolutæ retinent & recuperant ſuum *ſitum* in reductione.

Quæ ſolvuntur *calido* ſive *aqua*, coagugulantur *frigore* ſive aëre & contra.

Partes ſeparatæ ſunt *aqua* & *Terra*.

Aqua complectitur particulas inſipidas, pingues, dulces.

Terra particulas acerbas, auſteras, acidas, ſalſas, amaras, acres.

Corpora non corrodunt corpora neque *fixa* in ſe mutuo agunt; ſed quatenus alterum *volatile* eſt.

Quantum *ſpirituum* corporis ſolutionem peregit, tantundem quoque in corpore ſoluto *corporalitatem* aſſumſit.

Spiritus *acidi* ſalem ſuum cum corpore ſoluto relinquunt & *aquam* tantum inſipidam retinent.

Omnis Sp. *acidus* diſſolvendo aliud coagulatur in *ſal* ex quo paratus eſt: unde à diſſolutis per aquam *calidam* eluitur & in *ſal* ſuum *evaporatione* concreſcit.

Eſtque

Eſtque vel *univerſalis* vel *particularis*.

Univerſalis eſt quæ omnia *corpora* ſecundum omnes partes ſimul ſolvit & mutat.

Summus chimiæ apex eſt *univerſale* ſolvens.

Tale vocatur liquor *alcaheſt*, quem putant eſſe Mercurium, à quo ſulfur, combuſtibile & humidum ſuperfluum ablatum eſt. Unde fit liquor immutabilis, immortalis, indiviſibilis, omnia tranſmutans, agens abſque repaſſione, omnia conſumens, excepto ſuo compari, à quo ſolo ſubtus jugum trahitur & permutatur; non eſt corroſivum, morbos conſumit ut ignis. Qualem deſcribit Helmont. paſſim.

Hoc ſolvens *inſeparabiliter* conjungitur cum corpore ſoluto & cum eo *figitur* in corpus pluſquam perfectum.

Alcaheſt ſolvit omne corpus *radicaliter* in *liquorem* vel *ſalem* volatilem ſervatis viribus eorum & pondere. Quicquid impurum purificat, imperfecta perficit, venena ſalutaria reddit. Eſt ſolvens *univerſale* ſine *corroſione*, nec poteſt à ſoluto ſeparari.

Dato *univerſali* ſolvente, addito *particulari* anatico rei tranſmutandæ vel alterandæ, fit tranſmutatio.

Quod

Quod ſolvitur in aqua eſt Sal.
Quod ſolvitur in aceto eſt gummoſum.
Quod ſolvitur in lixivio eſt ſulfureum.
Quod ſolvitur in oleo eſt pingue.
Quod ſolvitur in Sp. V. eſt reſinoſum.
Quod ſolvitur in aqua forti eſt Lunare.
In aqua regia Solare.

Quod induratur in aqua eſt nitroſum.
In aceto eſt acre.
In lixivio acerbum.
In oleo aluminoſum.
In Sp. V. Salinum.
In aqua forti | cereum.
In aqua regia. |

Particularis eſt quæ ſolvit *quædam* corpora ſecundum quaſdam partes.

Eaque ſunt vel *ſingula* vel *compoſita.*

Singula vel ex particulis acutangulis ut omnes ſpiritus *acidi* ſalium, mineralium & metallorum qui ſolvunt omnia mineralia & metalla. Et hæc proprie ſunt *corroſiva*, quæ cum impetu & ebullitione corrodunt corpora.

Vel ex particulis mollibus ac pinguibus: velut 1. *aqua* quæ ſolvit omnia *ſalia* & ſalſa: omnia *gummata*, ammoniacum, galbanum, bdlellium, tragacanthæ, Arabicum, ceraſorum: quæ etiam ſolvuntur quolibet liquore aqueo veluti *aceto*, *vino*, ſucco

ſucco limoniorum, ſed *gummata* ſoluta in aceto *lacteſcunt*: in Sp. V. *limpida* manent.

Vel ex particulis ruderoſis & fixis, qualia ſunt alcalia, lixivia, Sal *Tartari* & *Nitri* fixum in forma ſicca vel liquida *volatilia* redduntur, ſi in ejus ſpiritu diſſolvuntur corpora dura, metalla, lapides.

Compoſita vel ex *aqua* & *alumine* vel ex *aqua* & *urina* vel ex *alumine* & *urina*. Ex *aqua* & *urina* ut *aqua fortis* impraegnata per diſtillationem & cohobationem cum ſale fixo vel felle vitri, quae ſolvunt omnia metalla & mineralia nec illa praecipitari ſinunt.

Acetum impraegnatum ſale *ſtannum* vel *Saturnum* vel *acetum diſtillatum* affuſum limaturae *ſtanni* ſolvit omnia corpora & lapides.

Ex *alumine* & *urina* ut *ſapo* ex lixivio calcis cineriſque & oleo vel pinguedine coagulatis, tollens omnes maculas oleoſas ex veſtibus. *Oleum* enim vel *pinguedo* ſolvit & attrahit ſibi ſimile: *cinis*, *calx* vel *fel* bubulum tanquam *urina* attrahunt, abſtergunt & expellunt ſordes. *Sapo* oleo trahit pinguedinem & cinere calceque educit.

Pleraque *particularia* non ſunt tranſmutationes ſed *ſeparationes* & *coagulationes* Spirituum.

Nullum *particulare* extra *univerſale* verum eſt.

Sol-

Solvens *particulare* tantundem recipit in ſe corporis *homogenei*, quantum pori ejus continere vel particulæ ſolvere ac penetrare poſſunt.

Et quia diverſi *pori* in ſolvente ſunt, ideo poris unius corporis impletis, *vacui* poſſunt manere pori alterius figuræ, qui aliud corpus ſibi proportionatum ſolvere & recipere poſſunt.

Qua ratione unumquodque colligatum & eadem ſolvi poteſt. Quale *vinculum* corporis, tale *ſolvens* eſſe debet. ſic *auri* partes colligantur Sale *armoniaco* vel communi: ideo ſolvuntur in *aqua regia:* partes *argenti* Sale *Nitroſo* vel *Vitriolato :* ideo ſolvuntur in *aqua forti*; partes *ſulphuris* Sale alcali; ideo ſolvuntur in *lixiviis*. Spiritus *Nitri* non diſſolvit, quæ aqua fortis diſſolvere poteſt.

Quæcunque ſolvuntur in *ſalibus*, eorum vinculum ſive baſis eſt *Sal*, quæ in *Sulphuribus* eorum baſis eſt *Sulphur :* quorum baſis *aquea*, ſolvuntur *aquis :* quorum *terrea* terreis.

Menſtrua *acida* edulcoratione ſeparari nequeunt à ſolutis, quia tranſmutata ſunt.

Eſtque *liquefactio*, *calcinatio*, *Extractio*.

Liquefactio.

Quorum particulæ ſimul vi *ignis* disjungi

jungi possunt, ea *liquescunt*.

Quæ *fusione*, liquescunt eorum partes ob interfluentem & magna vi continuo transeuntem materiam ignis, sive lucem, separatæ manent atque conturbantur inter se, ita ut ignis fluidi poros undique impleant.

Quæcunque habent partes *tenues* & *subtiles* sive *volatiles* vel Spiritum fugacem, ea in igne levi *exhalant* & vim suam amittunt. Talia sunt pleraque *volatilia*, maxime cuncta *odorata*, *aromatica*, vinumque vetus & fermentatum; & hæc retinent tantum partes crassiores. Quare talia non sunt *coquenda*, sed maceranda deinde distillanda.

Ebullitio fit quia liquor *subtilior* insinuat se intime liquori *crassiori* & impedit motum lucis per hoc corpus fluentis ordinarium: unde *lux* impedita in suo motu ordinario impingit in corpuscula nec inveniens liberum transitum nascitur inde major humorum & spirituum confusio & simul conatus atque lucta lucis studentis conservare motum suum: unde ebullitio, lucta & pugna inter duos liquores, quæ *ebullitio* vocatur.

Igne ex *poris* corporum liquescentium evanescente, corpora iterum contactu se jungunt, *durescunt* & coagulantur.

Igne tam *valido* ut particulæ quædam corporum in *aërem* vel *ignem* vertantur, corpora *ebulliunt* & *effervescunt*.

Nam

Nam quando *pori* corporum tam sunt angusti ut alterius corporis particulas illas tantum admittant quæ sunt cinctæ *luce* exclusis aëreis, fit *ebullitio*, *fervor* vel etiam *ignis*: quia illa materia subtilis lucis adveniens tam valide agitat & terebrat poros angustos ut quasdam particulas abradat & in *vaporem* vel *ignem* convertat.

Dura emolliuntur & fiunt *liquida* ac *viscosa* per *Salem armoniacum* & olea si toties incerentur donec fluant ut cera in lamina candente & non fument amplius. Ita *lapides* & omnia *friabilia* liquescunt per *alcalia* sive salia fixa, quæ *attrahunt* vel potius *comburunt* sal illud *acidum*, à quo friabilitas.

Fluxus & *sal* fixis propterea adduntur ad corpora dura & intractabilia ut ex illis particulas acidas extrahant quæ fluxum impediunt.

Calcinatio est vel *corrosio* vel *Ignitio*.

Corpora ex particulis *tenuibus*, *flexilibus*, *lubricis* aliis *crassioribus* aut *ramosis* intertexta, sed non valde firmiter annexa, igni admota illas *exhalant* hocque ipso *siccantur* & *calcinantur*.

Valida flamma *superficiem* corporum lambente ea in *calcem* convertuntur.

Mira sunt effecta *calcinationis* vel *digestionis clausæ* ad transmutanda corpora. sed *vasa* debent plane esse *plena* corporum nec in

in illis *vacuum* dari.

Corpora omnia *dura* quæ sola ignis vel *aquæ fortis* actione in pulverem minutissimum rediguntur fractis scilicet vel expulsis tenuioribus eorum quibusdam particulis quæ reliquas simul jungebant, vulgo apud chimicos dicuntur in *calcem* redacta.

Calcinatio clausa fere totum corpus conservat; quia in tali calcinatione paucæ particulæ tenuiores separantur. Causa: quia particulæ tenues non possunt *exhalare* ob impeditum ingressum aeris & circularem motum aëris & fumi.

Calcinatio *clausa* conservat particulas tenues, nec cineres sed *salem* vel *carbones* efficit.

Calcinatio destruit virtutem rerum.

Calcinatio *corpora* pondere auget.

Reductio calcium fit per *salia* & propria corpora fluida.

Calcinata ex *aëre* attrahunt quod in *igne* amiserunt.

Calcinata acerrima temperantur vitriolatis, proprietatibus *Salis armoniaci* resoluti & *Tartari* putrefacti.

Calcinatio fit vel *corrosione* vel *ignitione*.

Corrosio est vaporosa vel immersiva.

Vaporosa fit per vapores exhalantes.

Quales sunt *aqua fortis*, *acetum*. *Saturnus*, *Mercurius*.

Immersiva fit vel infusione vel Amalgamatione vel Cementatione.

Infu-

Infusione.

Per *aquas*. Cum *duo* diversi *liquores* confunduntur fit *ebullitio* propter partium diversitatem quæ se mutuo vel *recipiunt* vel *excludunt*.

Corrosiva in operatione amittunt *vim* suam corrodentem & iterum abeunt in illa corpora unde facta sunt. Quia particulæ corrosivæ dum subeunt poros luce metallorum eos tam angustos reperiunt ut non nisi cinctæ, exclusis aëreis particulis eos ingredi possint. Hinc *ebullitio* & pugna. Propterea autem lux ingreditur poros metallorum & secum corpusculis metallicis conjungit, quia in iis commodius moveri potest. Et hæc causa cur *Salia*, *Aqua fortis* difficulter vel nullo modo elui possint à metallis corrosis per *aquam* communem: quia *pertinacius* adhærent poris metallicis quam ut aqueas molles transire velint, sed *separantur* inde per *salia* fixa, *Nitrum* fixum, *Sulphur* calcinatum, quia particulæ illorum salium cinctæ materia subtili promtius moventur in sale fixo homogeneo quam in metallis heterogeneis.

Aurum & *Antimonium* ejusque vitrum non dissolvuntur nisi per *aquam regiam*. *Luna* & *Bismutum* non dissolvuntur nisi per *aquam fortem*. Reliqua *metalla* quo magis de *auro* vel *Luna* participant, eo facilius ab ejusdem materiæ aqua dissolvuntur. *Saturnus* per *aquam regiam*, *stannum*, *Mars*, *Venus* per *aquam fortem*. *Mercurius* vero est auri

& ar-

& argenti particeps ideoque & per *aquam fortem* & per *aquam regiam* dissolvitur.

Amalgamatio est corporum cum Mercurio impastatio.

Cementatio fit *stratificatione* vel *commixtione*.

Ignitio.

Corpora *dura*, quorum particulæ *aliæ* ab *aliis* citius separantur, ea *ardent*.

Cum particulæ sola luce cinctæ ingrediuntur poros corporum, excitant *fervorem* sive *calorem*, & ignem: si particulæ corporum adeo firmiter cohæreant ut non possint unæ ab aliis separari, tantum fit *calor*, *fervor*, ut in *calce* viva, gramine, & ebullitio. Si autem omnes vel aliquæ possint à se separari fit *flamma*.

Hinc patet cur *fœnum* recens, si humidum recondatur, incalescat & flammam concipiat.

Debet autem *fœnum* esse inclusum arcto loco & compresso ut detur liber aditus aëri & vento, ac proinde quæ egrediuntur ex herbis illis excisis, non in auras abeant, sed ex una herba in aliam transeant. Causa est: quia multi *Spiritus* vel *succi* per herbarum viridium *poros* ab earum radicibus ad summitates fluere assueti atque ibi poros ad mensuram suam accommodatos habentes, manent aliquandiu in herbis excisis: quæ si interim angusto loco includantur particulæ illorum succorum ex unis herbis in alias migrantes,

tes, multos meatus in ipsis jam siccari incipientibus reperiunt paulo angustiores quam ut illos simul cum particulis aereis subire possint, ideoque per illos fluentes sola materia primi elementi sive luce circumdantur, à qua celerrime impulsæ incalescunt & ignis agitationem aquirunt.

Eadem causa est cur *duo* liquores diversi confusi vel corpori *duro* affusi incalescant, ebulliant & aliquando inflammentur, ut *calx* viva aqua adspersa, *fermentationes* omnes.

Quoties enim aliquod corpus *durum* vel etiam liquor aliquis admixtione liquoris incalescit id fit quia multi *pori* ejus corporis sunt ejus mensuræ ut istius liquoris particulas sola luce cinctas, exclusis aëreis particulis admittant.

Est *Reverberatio* & *Combustio*.

Combustio est *evaporatio*, *incineratio* & *vitrificatio*.

Ignis *comburens* corpora *cinefacit*.

Cinis complectitur duplices particulas, *oblongas* & *rigidas* quæ sal constituunt; *ruderosas* & *crassas* quæ terram mortuam in *vitrum* abeuntem constituunt.

Omne corpus *cremabile* habet in se Sal *volatile* quod arreptione sui sulfuris fixatur in *alcali*.

Cineres sunt reliquiæ eorum corporum, quorum partes *tenuiores* igne absumtæ sunt,

ſunt, ſolis relictis craſſioribus.

Salia *volatilia* per ignem tranſmutantur in *fixa*.

Quorum particulæ *ſulfureæ* igne abſumtæ, fiunt corroſiva.

Fragrantia in igne conſumta *fœtent*, ut cinnamomum, caryophylli, ſemen coriandri, ſemen nigellæ, roſæ, imo & moſchus ſi vivis carbonibus cito imponatur, male olet.

Empyreuma eſt à particulis combuſtis. Tollitur tantum per *cohobationem* cum Sp. Salis non per *ſulfur* vel *aquam fortem*.

Igne detinentur 1. ſalia *fixa*, velut *Tartarus*. *Calx* viva, *alcalia*, oſſa calcinata, creta.

Oleoſa detinentur per bolum, arenam, farinam laterum: ſive *alcalia* ſive fixa ſalia imprimis creta *oleoſam* pinguedinem attrahunt & detinent ac ab aqua inſipida ſeparant.

Vitrificatio.

Vitrum fit ex *cineribus* vel *arenis* omni ſale fixo ſpoliatis & ex *alcali*. Unde nullas habet virtutes & fragile eſt quia ſale *fixo viſcoſo* caret. Poteſt tamen fieri malleabile addito humido unctuoſo metallico.

Omnia tandem *vitrificantur* Vitrum eſt ultimum in natura & arte.

Extracto ex cineribus ſale, remanet *terra mortua*; ex qua, addito *alcali*, nil niſi vitrum fit.

Vitrum

Vitrum fit ex arena & alcali. *Arena* in vitro immutata manet & per alcali tantum liquefacta est ac occultata.

Vitrum habet *poros* non aëri sed lumini tantum pervios.

Vitrum iterum *reducitur* in arenam & aquam, per alcali. Huic liquor *Nitri fixi* etiam *vitra* solvit, *vitrum* in igne invictum, paucis annis sub terra frascescit, putrescit & aqua fit.

Vitrum est lapis fictilis constans *sale* alcali. Nam sal *alcale* liquatum corrodendo liquefacit *arenam* vel pulverem lapidis non calcinabilis nec alias fusibilis simulque in massam diaphanam vertuntur. Ergo lapis *calcarius* sive *saxum* propter sal *acidum* ineptus est vitro. Quia calor ejus destruit alcali vitrificans fitque neutrum quoddam opacum: Omnia tandem *fixa* cum *vitrificantibus* vitrificantur. Hinc *saxa* quæ sulfur φλογιστὸν habent, *calcinantur* quidem, verum non facile *vitrificantur* eo quod sal sulfureum *acidum* consumit *alcali* vitrificans.

Sal fixum *cinerum* adjuvat sed non ingreditur vitrum: verum illi innatat & ab eo abstrahitur. Vitrum *Antimonii* differt à vitro alio. 1. non est tam solidum, aridum, fixum: multo enim facilius liquescit. 2. Si diutius in igne moretur, fuliginem quandam emittit. 3. Liquore infusum vim *vomitoriam* ei communicat. 4. *Dissolvuntur* ab *aqua regia* quod non fit

fit cum vitro communi. Particulæ metallorum transllocantur per vitrificationem.

Extractio.

Extractiones sunt separationes subtilissimarum particularum materiæ tertii elementi, id est *aquearum* & *terrearum*, quæ per ignem separantur à crassioribus & in spiritus *acidos* vel *oleosos* vel *salia* transmutantur. *Lux* autem ob summam suam subtilitatem vi *extrahi* aut *vitris* claudi non potest.

Extractio rerum *volatilium* fit in *frigore* vel *calore* minimo: nam in calore intensiori exhalant spiritus subtilissimi.

E qualibet *planta* aut *fructu* fit Sp. V. per fermentationem, etiam ex *urina*.

Non sunt addenda illa quæ *contraria* sunt rebus distillandis; quia per talia destruuntur.

In omni extractione considerandum est *vinculum* quod detinet partes heterogeneas & pars extrahenda. Si *aqua* adde *acetum* vel *urinam*. Si *acetum* adde *aquam* vel *urinam*. Si *urina* adde *aquam* vel *acetum*.

Extractio *homogeneorum* fit per detentionem *heterogeneorum*.

Nullus *spiritus* exhalat ante fermentationem sed tantum *phlegma*.

Estque ascensoria, descensoria, digestoria. *Ascensoria* est *sublimatio* & *distillatio*.

Sal *volatilis* attollitur 1. gr. ignis, sal *fusus* 3. gr. sal *fixus* 4. gradu.

Quæ constant ex particulis *ramosis* non facile ascendunt, quia non facile liberari possunt à partibus *fixis* quibus implicantur & tenaciter adhærent. Si vero ignis intensior adhibeatur, ascendunt quidem sed simul aduruntur, *empyreuma* contrahunt & amarescunt. Ergo addendum corpus heterogeneum ut partes dislocentur ut impediatur confluxus. Igitur particulæ salium sunt dislocandæ per additionem alicujus rei idoneæ. Quæ constant ex particulis *crassioribus* quales sunt argentum vivum & salia quæ vasorum summitati adhærentia, in corpora dura concrescunt, satis magno igne opus habent ut in sublime attollantur; sed *olea* omnium difficillime ex duris & siccis corporibus exhalantur; idque non tam ignis vi quam arte quadam perfici debet. Cum enim eorum particulæ tenues sint & ramosæ, ac proinde sibi mutuo & aliis corporibus implexæ magna vis ea frangeret ac discerperet priusquam ex eorum corporibus educi possent, sed iis affunditur aqua copiosa.

Distil-

Distillatio est recta vel obliqua. *Recta* per alembicum & vesicam. *Obliqua* per retortam & latus.

Distillata consistunt 1. in subtilissima *aqua* tanquam vehiculo. 2. particulis *oblongis*, *glabris*, *acutis*, unde sp. acidi. 3. particulis valde *flexilibus* & *oblongis*, unde oleum. Et ex innumerabili harum particularum varietate ac proportione distillatorum varietas oritur.

Quicquid solo *igne* distillatur procul à viribus concreti recedit. Distillatio res quidem facit acutiores & magis activas sed simul *corrumpit* earum naturam: quia ignis est mors artificialis.

In distillatione acidorum primo *phlegma*, postremo *spiritus* egreditur: in vegetabilium & animalium primo *spiritus* sive *oleum*, ultimo *phlegma*.

Acida quodammodo *fixa* sunt & intensiore ignis gradu indigent.

Ex *vegetabilibus* distillari possunt & debent omnia *aromatica*: non possunt *dulcia*, *acida*, *gummata*; neque etiam *austera*, *stiptica*, *adstringentia*.

Talia igitur *adstringentia* non dant aquam distillatam sed tantum *phlegma*. Ergo decoquenda sunt. Et per *torcular* exprimenda. Et in *decoctione* non exhalat spiritus *austerorum*, nisi nimium decoquerentur, quia adhuc immatura & non

fermentata sunt, & quia vis eorum in partibus crassis consistit.

Animalium *carnes* distillatæ non nisi phlegma inutile dant.

Aquæ *distillatæ* non nisi partes *acidas* & *volatiles* complectuntur, *oleo* & *sale* fixo in capite mortuo relictis.

Particulæ *urinæ* per ignem transeunt in particulas *acidas*. Sic ex *sale* communi fit sp. *acidus*.

Quod in fundo manet est *Caput* mortuum ex quo *sal* per *aquam*: sulfur sive *oleum* per sp. salis extrahitur.

In *distillatione* illorum in quibus prævalent particulæ *acidæ* primo egreditur *phlegma*, deinde *spiritus*: in quibus particulæ *oleosæ* primo *spiritus*, deinde *phlegma*. Et hæc est causa cur in distillatione *vini* primo egrediatur *spiritus*; in distillatione *aceti* primo phlegma.

In distillatione Sp. *mineralium* & *salinorum*, non est addenda terra *figulina* vel *bolus*, quia spiritus acidos detinet & figit: sed *alumen* ustum, *Vitriolum* aut simile quid in quod spiritus acidi agere non possint.

Olea in distillatione *nigrorem* & *fœtorem* contrahunt à sale *volatili* quod oleosis particulis libenter admiscetur, quæ in rectificatione per Sp. *salis* separari possunt.

Spiritus *rectificari* debent *per se* sine additamento *salis* fixi: quia si rectificentur & cohobentur cum sale *fixo*, figuntur cum

eo

eo & non adſcendit niſi phlegma.

Olea rectificari poſſunt ſuper *ſalibus* fixis vel *capite mortuo* vel quod *optimum*, Sp. ſalis.

Cohobationis effecta mira ſunt *maturare* met. & mineral. imperfecta cum *Mercurio*: *figere* res volatiles.

Nullum *menſtruum* plus extrahit quam retinere poteſt: cauſa *pori* menſtruorum quibus oppletis reliqua intacta relinquuntur.

Unum idemque *menſtruum* conſtat ex *poris* diverſarum figurarum & cum uno ſubjecto ſaturatum eſt, alterum tamen diverſæ figuræ appetit & retinet.

Sola *bilis* penetrat *membranas*.

Deſcenſoria eſt *præcipitatio*, *deliquatio*, *filtratio*.

Præcipitatio.

Heterogenea præcipitant.

Præcipitatio eſt vel *humida* vel *ſicca*.

Quæ ſolvuntur in *ſicco*, præcipitantur in *humido* vel *ſicco*. Metalla per *Nitrum*, *Sulfur*, *Antimonium*, *carbones*, *ſal* & per alia metalla: velut *Sol* per *Mercurium* & *Lunam*. *Luna* per *Venerem* & *lithargyrum*. *Mars* per *Venerem* & *Antimonium*. *Stannum* per *Mercurium*: per *Solem*, *Luna*, *Saturnus*. *Venus* per *Lunam*. *Mars*, *Antimonium* per *Nitrum*, *Tartarum*, *Martem*.

Omne *alcali* aciditatem perimit. Unde alcali *Sal* vel *saccharum colostro* injectum impedit coagulationem in butyrum.

Quod solutum est in Sp. *acido* præcipitatur per sal *alcali*, qui combibit salem acetosum eumque à corpore soluto separat, sic Sp. acidus relinquit corpus solutum.

Quicquid solvitur *à spiritibus*, præcipitatur per *salia* & contra: quicquid solvitur à *salibus* præcipitatur per *spiritus*.

Omne volatile *præcipitatur* per suum *fixum* & contra.

Omnia *acida* naturam salium *volatilium* immutant.

Præcipitans *homogeneum* se conjungit cum præcipitato & dimittit solutum, quod fundum petit. Sic solutum in *aqua forti*, *aqua regia* per liquores *fixos*. Talia *præcipitata* non opus habent *edulcoratione*: quia *præcipitans* attraxit omne *corrosivum*.

Causa *præcipitationis* est, quia *atomi* nuspiam rectius moventur quam in propriis poris.

Omnia *acido salsa* præcipitantur per *salsodulcia*, ut *Sal*, *Nitrum* in *aqua* soluta: quia *salsum* contrariatur *acido* & *dulce* salso. Etiam lixivialia quæ tantum pure salsa sunt.

Sal ex salsamentis præcipitatur per *aquam marinam* aut copiosum *salem* alium inditum.

Sal

Sal camino ardenti ſuppoſitus , nimirum ſi foco ardenti imponatur ſive injiciatur , *ignem* ex alto *præcipitat* & ſuffocat.

Venti *typhones* à nautis *aceto* præcipitantur: ſerum *lactis* clarificatur per *acetum* vel ſuccum aurantiorum & filtratione.

Butyrum, *creta* vel *lithargyrum*, *albumen* ovi, attrahunt fæces rerum.

Membra *frigore* excita *reviviſicantur* per *aquam* frigidam vel nivem.

Vinum *conglaciatum* liqueſcit ſine jactura virium, ſi vas in *aqua frigida* ſuſpendatur.

Si vero calore ignis vel per ſe liqueſcat, vires amittit.

Metalla in *aqua forti* ſoluta præcipitantur per Sp. *ſalis* vel Sp. *Salis armoniaci*.

Acida & *amara* ſe mutuo præcipitant ut *aqua fortis* & ol. *Tartari*.

Acida aciditate exuuntur per *cineres*, *calces* corporum , *oculos* cancrorum , *cortices* ovorum.

Tartarus *calcinatus* omnem *aciditatem* perimit.

Fumus *ſulfuris* impedit *fermentationem*.

Saccharum in aqua ſolutum præcipitat atramentum.

Saccharum in aqua ſolutum in *aëre* aceſcit.

Deliquatio eſt *calida* & *frigida.*

Filtratio fit per pannum ſive laciniam.

Cum filtrantur *ſulfurea*, velut ſulfur antimonii in lixivio, *calide* filtrari debent.

Digeſtoria eſt vel *putrefactio* vel *imbibitio* vel *circulatio*.

Omnis *digeſtio* à ſpecificis *fermentis*.

Aromata & *odorata* coctionem non ferunt ſine partium ſubtiliſſimarum jactura ſed ſunt diſtillanda. Contra omnia *auſtera*, *acida*, *acerba*, *dulcia*, *pinguia*, non ſunt diſtillanda ſed coquenda & exprimenda.

Nullus *ſpiritus* exhalat ante *fermentationem* ſed tantum *phlegma*.

Ad extractionem *ſpirituum* res ſunt infundendæ & digerendæ.

Quidam liquores in degeſtione *rubri* evadunt neque tamen *tincturas* extrahunt.

Tinctura *oleoſa* extrahitur ex corporibus ſiccis per pinguedinem craſſam, oleoſam & reſinoſam; ab hac iterum ſeparatur per aquam calidam. Exemplum in lapide lazuli.

Putrefactio. Fit à *ſpiritibus* ſalium compreſſis & humidis.

Dulcia citius putreſcunt quam *acerba* & *acetoſa*.

Pinguia

Pinguia *oleosa* haud facile putrescunt.

Immota & *quieta* facilius putrescunt quam quæ moventur.

In corpore *putrescente* calor initio intenditur deinde paulatim debilitatur & tandem plane evanescit.

Ex sale *Tartari* & *aceto* fit spiritus Vini.

Productio fit *conjunctione* & *coctione*.

Duo *heterogenea* inæqualium virium sese mutuo superant: Fortius enim id quod est debilius in suam naturam transmutat: Duo *heterogenea* æqualium virium sese mutuo conjungunt, permiscent & duplicant.

Ex *alcali* & corpore *duro* fit sal volatile.

Ex Sp. *Nitri* & *Nitro* fixo fit iterum *Nitrum*.

Spiritus *acidus* sulfuris affusus calci Lunæ & inde distillatus fit *amarus* & *fclleus*.

Ex duabus *volatilibus* diversarum figurarum fit tertium fixum.

Ex *spiritu Vitrioli* & *Mercurio* solo attactu fit *alumen*.

Ex Sp. *Vitrioli* & *Sale armoniaco* fit *sal* fixum.

Ex pinguedine & sale *alcali* fit *sapo*.

Ex oleo *cinnamomi* & sale *Tartari* fit sal *volatile*.

Ex *acido* & *salso* fit sapor dulcis.

Ex *acido* & *amaro* fit *salsum*.

Salsum acrius excoctum *amarescit*:

Ex *acido* & corpore *alcalizato* fit *ſcoria*.

Ex *dulci oleoſo* & *acri* fit *acidum*.

Sal *acidum* cum corpore vel ſale fixo coagulatur & in *alcali* tranſmutatur.

Tres partes *fixi* figunt unam partem *volatilem*: tres partes *volatiles* volatiliſant unam partem fixam, intra duos vel tres menſes digeſtione in vaſe clauſo.

Ex Sp. *auſtero* & ſpiritu *oleoſo* fit ſal *volatile*.

Principia quæ *primo* prodeunt, *ultimo*, quæ *ultimum* primo ſunt cum *mediis* conjungenda. Primo prodit ſpiritus acidus ſive *Mercurius*; deinde oleum, tertio ſal. Ergo primo debet *ſal* conjungi cum *oleo* tanquam corpus cum anima. Oleum enim eſt *gluten* vel vinculum duorum extremorum Spiritus & corporis. Ergo oleum & ſal primo libenter ſe conjungunt, amplexantur & coagulant. Si vero primo ſtatim loco *ſpiritum* cum *ſale* conjungere velis, fruſtra eris: carent enim nexu viſcoſo. ultimo autem duo hæc *oleum* & *ſal ſpiritu* aluntur. In tincturis hoc in univerſum obſervandum. Dato *calore* fixo, præparatio fit per *volatile* & contra e. g. panni coquuntur cum alcali, ſale *Tartari*, cineribus clav. fece vini, *alumine*; ut ſorbeant colores volatiles avidius & retineant.

Coctio complectitur *ſolutionem*, *purificationem* (ſub qua filtratio, diſtillatio, ſublimatio) *coagulationem*.

Solutio fit igne leni, *coagulatio* igne inten-

tensiori & tandem *fixatio* igne intentissimo.

Multiplicatio fit *imbibitione*, *fermentationes*, *projectione*.

Imbibitio est corporis fixati per *volatile* repetita *solutio* & *coagulatio*.

Fermentatio est corporis fixati per corpus particulare *specificatio*.

Projectio est corporis fermentati in aliud *incorporatio*.

Objecta sunt *Vegetabilia*, *Animalia*, *Mineralia*.

Excrementa sulfurea sunt in vegetabilibus *gummata*, in animalibus *adeps*, in mineralibus *sulfur* commune.

Vegetabilia.

Vegetabilia quæ sunt *acida* vel *amara* vel tales fructus ferunt, ea delectantur *sale* communi ut *Kali*, *olivæ*, *lemones*, *aurantia*, *lentiscus*, *palma*.

Quæ sunt *dulcia* & *dulces* ac *pingues* fructus ferunt, ea gaudent *sale dulci* sulfureo, ut *vitis*, *arbores* pomiferæ.

Quædam *acida* vim nanciscuntur, quædam amittunt ut *hydropiper*, flores *Iasmini*, *lilium* convallium, *putrefacta* amittunt odorem: alia sub putredine gratum odorem & vim conservant eumque distillando reddunt ut *rosa*.

Omnia vegetabilia in vase *clauso* conver-

tuntur in *carbones*, solo phlegmate exhalante.

Carbones in vase *clauso* sunt *incombustibiles*.

Carbo non-nisi *aperto* vase convertitur in cineres.

Ligna *cariosa* atque *putrida* nullum vel exiguum salem in suis cineribus relinquunt.

Alcali fixum non extitit in re sed *fixatur* cremando.

Vinum turbatur dum *vitis* ejus etiam longe remota floret: *cerevisia* dum hordeum. Sed *vina* neutiquam turbantur in iis regionibus quæ *vites* non ferunt.

Vinum conservatur & restituitur per *sulfur* sive Sp. *sulfuris vitriolatum*.

Tartarus vino non dissolvitur ob aciditatem ejus: unciæ sex *salis tartari* dissoluti dissolvunt uncias septem *tartari crudi*.

Sal *Tartari concentrat* & *figit* Sp. V. Sp. V. optime dephlegmatus per salem *Tartari* statim mutatur pro 16. sui parte in salem & totum reliquum fit *aqua* insipida.

Duo illa salia distinguuntur colore. Nam *alcali* ex Sp. V. affusum *aquæ forti* fit rubicundum: alcali ex Tartaro manet album.

Oleum tartari sive *sal* ejus dissolutus, si corpora dura, argentum, *Mercurium*, lapides dissolvat aut dissolutis affundatur, in salem *volatilem* redigitur.

Liquor *salis Tartari*, Sp. *Vrinæ* & Sp. V.

con-

confusa non miscentur, nisi *aqua* addita, sed liquor salis *Tartari* locum *infimum*, Sp. urinæ *medium*, Sp.V. *supremum* occupat. Si superfundas *oleum*, quatuor liquores discretos in uno vitro habes.

Ol. *tartari* figit Sp. *vitrioli*.

Sp. *vini* coagulat Sp. *urinæ* in sal volatile.

Sp. Vini facillime ardet. Ex vino *Rhenano* plus Sp. V. quam ex *Hispanico* vel *Gallico* elicitur.

Sp. V. confortatur & *acuitur* per *crystallos* tartari. solvuntur in libra una Sp. V. *Mercurii* unciæ cryst. *Tartari*. Vel per *Nitrum fixum*, Sp. *urinæ* vel sal *sodæ* Gallicæ. *Tartarus* in *aqua* frigida non solvitur. Cineres *clavellati* ex *pinu* & *quercu* cremata fiunt & in cadis asservantur. Illi *cadi* dum comburuntur dant Potasse: quia sal cinerum clavellatorum ligna calcinat & in *salem* convertit.

Ex qualibet *planta* & *fructu* addito *fermento* fit spiritus. Tales spiritus consistunt in sale volatili & oleo.

Acetum est *Tartarus* liquidus. *Dulcescit* affusum calcinatis & transit in Sp. Vini. Acetum *distillatum* acuitur per Sp. *Nitri* vel *Tartari* & *Nitrum* calcinatum, si ab eo abstrahatur.

Funiculi bombardarii in *aceto* cocti non fumant.

Vinum *rubrum* infuso Sp. *vitrioli* momento albescit. *Mel* corrumpitur *pane*.

Sac-

Saccharum *lixivio* calcis vivæ & *argilla* figlina clarificatur. Unde acidis inimicum. Saccharum album pessimum, quia sæpius cum lixivio calcis vivæ coctum.

Vina quo *excoctiora* à sole eo minus Tartari habent; quo *crudiora* eo plus.

Vina *Hispanica* nullum plane Tartarum habent: quia uvæ plusquam solibus excoquuntur. *Gallica* vix dimidiam partem Tartari habent. *Rhenana* sunt jucundi saporis ob gratam aciditatem.

In *vini* distillatione prodeunt primo *spiritus* igneus. 2. *oleum*. 3. *phlegma*. Terra in fundo remanet.

In *aceti* distillatione prodit 1. spiritus *acidus* volatilis. 2. *phlegma* dulce quod separari potest in *aquam* insipidam & dulcedinem. 3. Sp. *acris*. 4. acetum *radicatum*, quod multa vi ignis ex fecibus & acido sale proflatur. Si vero *aceto* addas vel *salem* communem vel *sal* tartari tum primo prodit *phlegma*, secundo *spiritus* acidus. Ratio: quia sal aut *tartarus* præcipitant & detinent Sp. acidos aceti, ne tam cito possint ascendere.

Differentia inter Acetum Vini & Cerevisiæ.

Acetum vini commotum non bullescit & coctione acrius fit; contra debilius id quod ex cerevisia.

Ex *aqua* pluvia fit acetum cum melle & sinapi.

Acetum constat 1. particulis *acidis* volatili-

latilibus. 2. *aqua* insipida. 3. humore *dulci*. 4. sale *duplici* volatili & fixo.

Spiritus *acidi* longe melius coagulantur cum propriis *salibus* fixis quam cum *sale* Tartari.

Inimicitia est inter *oleum* Tartari & *acetum* vini, cum tamen ex una oriantur radice: ita inter Sp. V. & *aquam fortem*: si *Martem* in *aqua forti* solvas & subito oleum Tartari affundas, duæ hæ contrariæ naturæ, instar pyrii pulveris *flammam* eructant & vitrum rumpunt.

Objecta sunt *Cœlestia* & *Terrestria*.

Radii solis possunt *concentrari* & corporales fieri in vitro.

Materia lucis sive primi elementi transmutatur in materiam *tertii* elementi sive terrestrem per motum *adhæsionis*, minutissima ramenta primi elementi sibi mutuo adhærent.

Terrestria sunt *Vegetabilia*, *Animalia*, *Mineralia*.

Quædam *vegetabilia* ut lignum *sanctum*, *helleborus*, adeo exiguam quantitatem salis *fixi* ex cineribus suis præbent: alia autem, ut *absinthium*, lilium *convallium*, magnam quantitatem. Quia illa quæ parum, constant ex sale volatili nitroso

troſo vel *urinoſo* vel *acido*, quod in aduſtione cum oleo comburitur: quæ multum, conſtant ex terra multa *ſalina* & aduſta.

Sal *abſinthii* forma *ovali* in ſex facies exacte *quadratas* & juxta utrumque extremum in ſex *pyramidales* facies exacte in unum apicem conſpirantes, diviſum.

Sal *volatile* è cornu cervi leni igne in retorta exceptus figuram *hexagonam* regularum habet.

Veteres *lac* coagularunt in *caſeum* per humorem lacteum *ficorum*. ſuccus lacteus fici *aceti* naturam habet. Itaque coaguli modo lac contrahit.

Animalia maximam copiam habent ſalis *volatilis* propter perpetuam circulationem ſpirituum, imprimis *homo*, ut patet ex *cranio* humano.

Animalia ex meris partibus *volatilibus* conſtant & combuſta nihil præter inutilem terram mortuam poſt ſe relinquunt: ideo non ſunt *comburenda* ſed tantum *ſiccanda* & *pulveriſanda*.

Homines rebus naturalibus *transſmutari* poſſunt. Sunt quædam res naturales quæ mox ubi aſſumtæ fuerunt, imperium in phantaſiam exercentes, hominem in id tranſmutant ad quod vel maxime inclinaverit. Ita radix eſt quæ in cibo ſumta homines mox in *anſeres* & *anates* tranſmutat, non ſecundum viſum exteriorem ſed interiorem, ita ut qui ſumſerint ſe *anſeres* vel *anates* eſſe putent. Sunt & aliæ res

quæ

quæ per cibum ſumtæ, in *feles*, *canes*, *lupos*, dicta ratione tranſmutant. Cerebrum *urſi* devoratum gignit imaginationes quaſi quis in urſum tranſmutatus ſit.

Saccharum igne crematum fœtet. In *Saccharo* tria elementa condenſata ſunt, *ignis* puriſſimus ſive Sol, *aër* & *aqua*.

Sp. V. non ſolvit ſalia *fixa* ſive *alcalia*.

Ova condiuntur ſale *creta* vel *limo* mixto, qua mixtura ova illinuntur & illæſa perennant, ſolo ſale aut muria immerſa ova ſalſedinem minime admittunt; ſed *creta* aut *argilla* illita eum admittunt atque ita cibum ſalubrem præbent.

Sal *urinæ* humanæ diſſentit à ſale urinoſo aliorum animalium. Sp. *urinæ* eſt mere ſalſus.

Fel reddit fluidum.

Maxima corroſiva *ceram* ne quidem attingunt.

Sal *urinæ* concreſcit in *talos* ac *cubos* & hæret in fundo vaſis. Nihil in tota natura ſubtilius ſale *urinæ* hominis.

Dulcia, fumus, ſal, piper, aqua Vitæ, olea, acetum præſervant *carnes* à putredine.

Cera in *aqua forti* magis induratur magiſque. *Cera* exhalatione Sp. ſalis concreſcit in *marmoris* ſpeciem.

Sp. vel oleum *ceræ* diſtillatur cum *oſſibus* calcinatis. Quia illa attrahunt ſpiritum *acidum* ceræ, oleum detinentem.

In *urina* hominis ſunt 1. ſp. *auſterus* qui co-

coagulat. 2. Sp. *Vinosus* qui coagulatur. 3. Sp. *acris* vel *salsus* qui dissolvit. Cujus *urina* plus habet de spiritu *austero* coagulante, is obnoxius est *calculo*: immunis qui plus habet de tertio.

Alcali, cinis, sapo, saccharum, lixivium colostro injecta coagulationem impediunt, quia tollunt *aciditatem*. Nam transmutatio colostri in *butyrum* fit à fermento *acido*. Si igitur colostro parum cineris, saponis, sacchari aut illorum quæ participant de lixivio injicias, nunquam inde fiet butyrum: quia *alcali* omne fermentum *acidum* occidit.

Mineralia & metalla.

Habent in se odorem Ambræ.

Salia.

Alcalia dant omnibus fluxum.

Salium *proprietates* sunt 1. ut *solvantur* in *aqua* frigida & in ea subsistant. 2. ut salsum *saporem* & albedinem in igne retineant. 3. non *ardent* neque oleum aut pinguedinem in se habent. Unde patet neque *Tartarum* neque *Nitrum* esse salia.

Pro gradu *ignis* intenso vel remisso *salia* variis figuris coagulantur. Quo *frigidius* coalescit, eo majus & crassius granum dat. Quo *calidius* excoquitur eo grana fiunt minora.

Sal coagulatur *trilatera*, *quadrilatera*, quinque, sex laterum *figura* quasi circino dimensurata, instar adamantum; interdum

dum inſtar *ſtellarum* & *cryſtalli* apparet.

Omnia *ſalia*, ut in exactam figuram concreſcant, quam exactiſſime *purificari* debent.

Salis *communis* particulæ nonnihil de figura ſua deperdentes & quantitate, in *Nitrum* & *Sal armoniacum* vel ſimile quid mutantur.

Salia ſi *fluxerint* nullum ſpiritum emittunt.

Omnium ſalium ſp. eſt *acidus* exceptis *alcalizatis*, & vegetabilibus.

Sal ex minutiſſimis *cubis* vel *triangulis iſoſcalenis* componitur.

Sal eſt fermentum *lapidificum*: quia ipſe ſal lapideſcit.

Sal *commune*. Ex muria *ſuilla* recoctus omnium optimus, quia puriſſimus & defecatiſſimus. Nam operando in ſuiliam amiſit volatilitatem ſuam & fixatus eſt. Unde tale *ſal recoctum* injectum in cadum cereviſiæ *aceſcentis* eandem conſervat, quod non facit ſal alius.

Concreſcit in grana *punctalis* acuminis ſive *pyramides*, ſive figura *quadrata* inſtar adamantis.

Aquæ *pluviæ* partes 72. ſolvunt *ſalis* ſiccati partes 23.

Præcipitat Sp. *acidos*: habet in ſe aurum corporale, metalla imperfecta *attrahit*, perfecta *pellit*, *crepitat* in *aqua* quia excreta eſt, *exhalat* Sp. venenoſum, per dimidiam horam calcinatum amittit crepitum.

tum & fluit ut luna; exacuit *aqua fortis* ut aurum solvat. Ex *aqua maris* præcipitatur per *cerevisiam* crassam, *hordeum*, *sanguinem*, *albumen* ovorum, *silices*, vel *arenam* cum lithargyro & *Nitro* vel *Tartaro* calcinato. *Volatilisat*, quia *salsum* & contrarium *acidis Lunam* & *Saturnum* volatiles reddit.

Sal commune est *basis* omnium aliorum salium.

Ex sale communi omnia alia salia oriuntur per additionem aliarum rerum.

Omnia *metalla* solvit præter *Lunam*.

Sp. Salis 3. partes fortificantur cum Sp. *Nitri* 1. parte si aquam *salsam* ardentibus lignis affundas carbones inde glebæ salis efficiuntur.

Sal commune *solvit* & *extrahit Martem* & *Venerem*.

Sp. salis fit *acidus*, quia particulæ *cubicæ* per ignem in *acutas* sunt transmutatæ; unde poros penetrantes incidunt.

Sal *gemmæ* est quadratæ figuræ; igni injectus non crepitat nec dissilit sed ut ferrum *ignescit* ac lapidea duritie permanet contra naturam salium aliorum.

Lignum suo tempore in *aqua* salis *gemmæ* lapidificatur.

Sal *commune* in *oleo* non liquescit.

Sal armoniacus. Ex salibus volatilibus *fuliginis*, *lignorum*, *sanguinis*, *urinæ* animalium, componitur.

Est subtilissimus salium.

Sal

Sal ammoniacus *naturalis* in Ægypto cum *Luna* noctibus crescit.

Calx viva. Ex lapidibus usta habet sal *acidum & lixiviale*, quæ humectata effervescunt. Calx *viva* non operatur nisi *humectata* in corpus mortuum; at vivum corpus mox rodit, etiam sicca & *escharam* movet.

Ex *conchis* marinis usta non ardet.

Causa ardoris sunt pori admittentes tantam lucem excluso aëre.

Alumen. Pinguedo ejus præcipitatur per *urinam* hominis.

Creta in oleo *sulfuris* soluta abit in *alumen* Fortissimo igne calcinatum fortissime *adstringit* si uncias duas vel tres aquæ incoxeris charta illi immersa & siccata densatur. Alumen constat ex particulis *octoedricis*.

Nitrum. Constat ex particulis *oblongis* & *rigidis*, in hoc à sale communi diversis quod in una parte sint *crassiores* quam in alia. Hinc in *aqua* solutum non concrescit figura quadrata sed *fundo* & *lateribus* vasis adhæret.

Pulvis *pyrius* sursum tendit quia constat ex particulis *conicis*.

Nitrum non est *inflammabile* sed inflammabilia omnia & sulfurea igni admota quasi *ventus* & *follis* accendit.

Liquor *Nitri* fixi solus concrescit *sexangulariter* instar stellularum: Purificatum nitrum concrescit instar *pyramidum*, si sp.

aci-

acidus *Nitro* fixo affundatur.

Si immediate tangat *carbones* ſtatim accenditur & avolat: in vaſe liqueſcit.

In *aqua* ſolutum *præcipitatur* per *Sal armoniacum*, *feces* ejus *præcipitantur* per *lixivium*.

Sal *commune* tollit ab eo impetum.

Feces ex *aqua forti* præcipitantur per *Lunam*. quæ feces auro dant tenacitatem.

Ex *aqua forti* fit *aqua regia* addito *ſale* vel *Sale armoniaco*. Aqua regia omnia metalla ſolvit præter *Lunam*. Si *aurum vis* facere *volatile*, utere *aqua regia* ex *Sale armoniaco* ſi non ex *ſale*. Sed ſolutio per *ſalem* melior illa quæ per *Salem armoniacum* fit.

Additur ad libram unam *aquæ fortis* uncia *Salis armoniaci*. Sal ſolutus in *aqua forti* ſolvit *Venerem* & *Lunam* intactam relinquitur.

Aqua fortis lente & ſenſim affundatur *Marti*, *ſtanno*, *Antimonio*, *aqua* temperata.

Sulfur. Solvitur in *liquore* fixo *Tartari* vel *Nitri* vel lixivio. Odor *ſulfuris* rubra reddit alba.

Præter pinguedinem habet ſal *volatile* acidum quod inter comburendum abit in ſp. acidum per campanam.

Conſervat à *corruptione*, arcet putredine. *Excrementa* mutat in odorem moſchi.

Si ſulfur coquatur in oleo *calaminaris* lapidis per Sp. ſalis facto, fit *pellucidum*.

Vitriolum. Artificiale fit ex *Venere* & *ſulfure*.

fure. Sulfur particulas *acidas* relinquit in *Venere*, unde fit *Vitriolum*. Vitriolum *Hungaricum* habet ſp. *Veneris*, *Goſlarienſe* Martis, *Cyprium* ſolarem.

Oleum Vitrioli *aqua* temperatum citius ſolvit metalla.

Vitriolum Martis habet formam *cubicam*, Veneris *hexagenam*.

Sal Vitrioli *album* optime purificatum ſoli in vitro expoſitum, in dies magis magiſque creſcit & augetur. Eſt *magnes* radiorum ſolis. ubi docet quintam eſſentiam nihil aliud eſſe quam ſcintillam ſive radium ſolis omnibus rebus inſitum, qui ab elementis velut compedibus conſtringitur ne in patriam ſuam ſolem, unde profectus eſt, redeat. Radios ſolares adhuc liberos dum in aere vagantur, inviſcari, ſicut muſcæ ſolent dum mel deguſtant.

Antimonium.

Pori *antimonii* rarefiunt per *Nitrum* & *Tartarum*: unde levioribus in *ſcorias* abeuntibus, graviores ſubſidunt & dant *regulum*.

Regulus Antimonii *pondere* in igne augetur.

Magnes. Incredibilis efficaciæ fit ſi ſolvatur in *aqua forti* imprægnata ſuo ſale fixo crudo & incocto; ſimul figuntur; iterum ſolve & fige.

Metalla.

Sunt *poroſa* Minimos *poros* habet *Sol*, deinde *Luna*; tum *Mercurius*: inde *Saturnus*,

Venus,

Venus, *Mars* & tandem *stannum* omnium porosissimum.

Imperfecta habent sal *acidum* sive sulfur combustibile.

Attrahuntur à *copella* vel in *scorias* vertuntur ob spiritus acidos: inde etiam friabilitas unde etiam Sol & Luna fiunt friabilia si cum *sulfure* communi, *stanno* vel *antimonio* fundantur.

Aqua fortis nonnisi in *sulfur* metallorum *externum* agit.

Mercurius. Inter generata *parem* non habet. Calcinat suo *odore* omnia metalla. Mars *friabile* reddit, *aversatur* antimonium. Cum *magnete* cohobatus attrahit aurum. Eadem cum pulvere *pyrio* vi pollere calefactus in vase clauso. *Tartarus* ei inimicus est.

Figitur ab unico *sale*: odore metalli.

Cum Sale & Vitriolo *sublimatur* id est transformatur in massam duram & rigidam. Nimirum sp. salis & Vitrioli dissolvunt Mercurium eumque coagulant.

Constat ex terræ *fuliginosæ* tenuissimæ partibus 80. & 20. partibus aëris. id est ex sulfureis & nitrosis particulis.

Mercurius constat ex *particulis* quæ sunt instar minutissimorum *ruderum*.

Omnium *emollientium* & viscosa *liquantium* caput & apex est Mercurius, estque proprium solvens viscosi ac duri.

Saturnus. Purificatur per Salem armoniacum: *induratur* præcipitatus cum *auro*. A co-

copella *attrahitur* ob particulas acidas.

Saccharum Saturni non eſt niſi *acetum* dulce.

Calcinatum *plumbum* in Sp. aceti, ſi hoc totum abſtraxeris, quamprimum *alcali* ejus combiberit humidum ex aëre realiter *ignem* concipit, etiam in pera.

Fuſum plumbum *nigrum* fit cum *ſulfure* & oleo panno laneo confrictum.

Iupiter. Poroſiſſimum metallorum: *ſulfur* poſt aurum pertinaciſſime ſuſtinet. Omnia *friabilia* reddit præter *Saturnum*, maxime *Venerem*. In aqua forti *inceditur*. Colores *exaltat*. Cum *Nitro* inſtar *pyrii* pulveris incenditur. Fit arte ex *geniſta* calcinata.

Mars. Venus & Mars ſe mutuo *præcipitant* & *tranſmutant*. *Cuprum* facit *intractabile*.

Fulminat *deorſum* & *retro* ut ſol.

Fuligine vel oleo *Mercurii* illitum, *vitri* inſtar frangitur.

Chalybs conſtat ex particulis oblongis inſtar lignorum ſciſſilium. Hinc ſcindit ligna & omnia mollia quæ conſtant ex poris oblongis, carnes, lanam: reliqua frangit, vel ab iis obtunditur. Regula generalis eſt: omne *durum* homogeneum *ſcindit* vel *ſolvit* homogeneum molle.

Cuprum. *Intractabile* fit à Marte. Eſt *amicum* Soli & Lunæ. Si moneta *argentea* in qua ſit *cuprum* ſolvatur in *aqua forti*, ſola luna *præcipitatur* per *aquam* ſalſam vel

K *Vene-*

Venerem: *Venus* autem manet in *aqua forti* & per *Martem* præcipitatur. *Aqua fortis* quæ sali communi mista est argento relicto solam *Venerem* solvit.

Luna. Servatur in *Tartaro*.

Volatilis & *cornea* fit per *Sal* commune: & iterum *reducitur* per sal *Tartari* vel *Saturnum*.

Figitur per Sp. metallicos aureos.

Luna ex qua *separatum* aurum cum *cupro* fundenda & cupellanda.

Decima quinta pars *argenti* incorporati auro recuperari non potest ulla separationis aqua, nisi *major* argenti quantitas imponatur ut attrahat minorem, quod ultimum separationis refugium est & *quartatio* vocatur.

Argenti cum *auro* mixtura deprehenditur *pondere* si comparetur cum dimensione.

Sol sive aurum.

Fulminat præcipitatum ex *aqua forti*, *sal armoniacum* per ol. *tartari* vel Sp. *auri*. Fulmen *adimitur* per. Sp. *sulfuris* vel copiosum oleum *tartari*.

Urina *conservat* & *graduat* aurum. Aurum cum *paleis* hordei citissime fluit & Saturno excoquitur.

In *sale tartari* & aliis *albescit*, colori suo per *antimonium* restituitur.

Proba *auri* est *antimonium* & *quartatio*.

Est *amicum* Lunæ & Veneri.

Mun-

Mundum instaurabit.

Per *combustionem*. Pluet *ignis* de cœlo, cadent sidera, *Sol* omnia consumet & in cineres rediget. *Elementa* liquescent, *cæli* cum *stridore* præteribunt & in *fumum* convertentur. Astrorum *Combustæ* partes decident in terram & quicquid *artificiale* ac *corruptum* consument. *Terra* ruinam faciet per *incendium* nitri & sulfuris quæ in visceribus ejus copiosissime latent. Intimus *terræ* ignis junget se *cælesti* igni. Tanta copia *nitri* & *bituminis* ac *sulfuris* est ubique ut non immerito huic *incendium* mundi & *diffractio* fundamentorum terræ sit metuenda.

Ἐκπύρησιν sequitur ἀποκατάστασις. Renovabitur *cælum* & *terra* & omnes *creaturæ* longe perfectiores erunt quam in prima creatione. *Lux* in *cælo, sole, stellis* aliisque *creaturis* fixabitur. Cessabit ergo *motus* omnis & *efluxus* Lucis: quia eo non amplius opus erit cessante nutritione & generatione. *Terra* erit nitida instar vitri: *aqua* pellucida instar crystalli, *aër* serenissimus, *astra* fulgentissima, imprimis *sol* septies splendidior erit.

Quicquid impurum, noxium, horribile *infernum* constituet, in quo erunt, *frigus* immensum, *tenebræ* extremæ ob totalem defectum Lucis. *Ignis* inextinctus, ex omnibus cœli & terræ excrementis, tartaro,

pice, nitro, sulfure, in unum locum collectis & fixatis; unde *fætor* & *ardor* sine luce intolerabilis & immensus.

Homines suscitabuntur *singuli* ex *pulvere* suo. *Superstites* momento *transmutabuntur*. Electos Deus glorificabit. *Intellectus* eorum erit intuitivus, *voluntas* confirmata in bono, *amor* & *gaudium* infinitum, ineffabile. Reprobos damnabit.

Peccata commissionis in ipsis erunt conspicua, *omissionis* improperabuntur. In *anima* ipsorum erit *odium* Dei, *desperatio*, *blasphemia*, imago *Diaboli*. Conjicientur una cum *Diabolo* serpente antiquo & angelis ejus in *ignem* æternum ubi pœnas æternas luent.

FINIS.



INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A.

 Ama-

B.

C.

D.

E.

H.

I.

Ignis

L.

Ma-

O.

P.

contra

Pur-

Taran-

V.

Verrucæ

FINIS.

C26979



